
Digitized by Google

6
36-F
39
6
7 M
8

BB.7.



6-36. F. 39

Digitized by Google

Digitized by Google

XXVII. 15. 18

Digitized by Google

MARCO ELEPHANTUTIO
COMITI
ET RAVENNATIUM
SENATORI AMPLISSIMO

LIBELLUM

DE RESTITUTIONE PURPURARUM

TERTIO EDITUM, EMENDATUM, ET AUCTUM

PASCHALIS AMATIUS
SABINIANENSIS
JURISCONSULTUS

D. D. D.



Ap. Vaill. Num. Coloniar.

Denar. Gent. Furiae. ap. Pet. Burgheſium

CÆSENÆ

TYPIS GREGORII BLASINII
ANNO CHRISTIANO MDCCLXXXIV.
PRÆSIDIBUS ANNUENTIBUS.

Digitized by Google

AMPLISSIME
RAVENNATIUM SENATOR.

QUod poſt duas de flumine Rubicone a me editas diſſertationes tertiam, quod poſt tres Italicae Bibliographiae libros, reliquos annuos adhuc deſiderari permittam, cum huiuſce rei cauſſae multae fuerint, quas referre ſit longum, ſuffecerit ſpondere, me non ita longo tempore primum opus completurum, & ſecundum profecto maius, & toti Italicae Litteraturae apprime neceſſarium opus, cum iuxta publicum vulgatum programma empturientium idoneus numerus fuerit contractus, breviori etiam tempore Typis Mantuanis Ioſephi Sbaralii proſecuturum. Non enim mea edita Collectio omnium Latinorum Poetarum, Fragmentorum, Carmi-

num, ſive ex Ethnicis, ſive ex Chriſtianis, ſive ex marmoribus, ſive ex membranis collectorum, quae omnes ſuperiores Collectiones & copia & raritate carminum longiſſime ſuperat, non alter meus libellus de tranſitu Annibalis per Apenninum, & de Caſtro Mutilo antiquorum Gallorum, qui plurimas Italiae antiquitates declarat, amplificationem ullam novam hactenus deſiderare videntur. Contra materiae amoenitas & gravitas, Lucenſis editionis paucitas, Romanae in maiori opere Muſaei Kircheriani ſubmerſio, publicum non expletum deſiderium, ut hanc tertiam praeſentis mei de reſtitutione purpurarum Libelli editionem novis curis auctam nunc praeverterem, monuerunt; & deinde non minus Familiae tuae generoſitas, quam Mentis & Animi tui virtus, ut tibi, ampliſſime Ravennatium Senator, editionem ipſam nuncuparem, adduxerunt.

Nec iam hae, quas memoravimus, nuncupationis cauſſae minus verae. Quoad primam enim, ſatis mihi conſtat, duas nobiliſſimas Elephantutiorum Familias, Bononienſem alteram, quam doctus Senator Iohannes Elephantutius hoc tempore exornat, Ravennatem alteram, quam hoc tempore tu exornas, gentiles & agnatas ab iiſdem Maioribus ortum duxiſſe, tuam vero pluribus ab hinc ſeculis Bononia ſeditionibus extorrem Ravennae conſediſſe, ibique Romanorum Pontificum, Caroli V. Romanorum Imperatoris, Auguſti III. Sarmatarum Regis, & Venetae Reipublicae graviſſimis iudiciis fuiſſe cohoneſtatam, inter Patricias Romanas, Bononienſes, Ferrarienſes, Firmanas, & Atrienſes Familias fuiſſe conſcriptam, illuſtribus cognationibus, Praeſulibus, Epiſcopis, Cardinalibus, togatis Praetoribus, armatis Ducibus, Hieroſolymorum & Divi Stephani Equitibus, Divo etiam Seraphino ex Presbyterorum ordine, & Divo Marco ex Fratrum Obſervantium familia fuiſſe illuſtratam, ut Caietanum Elephantutium praeclariſſimum S. R. E. Cardinalem patruum tuum nuper lugentibus adhuc bonis vita functum, & Ioſephum & Ferdinandum fratres tuos, alterum Caroli III. Hiſpaniae Regis Equitem ſtipatorem, alterum Romanum Praeſulem, iam Camerini, iam Firmi, modo Centumcellarum Praetorem, quorum alteri Militia, alteri Roma maiores honores ſpondet, ingrato ſilentio praeteream.

Quid

Digitized by Google

Quid vero, quae ſecunda nuncupationis cauſſa, de animi tui, de mentis tuae magnitudine dicam? Tu iuvenculus ad Ravennatem Rempublicam ultro acceſſiſti, maximos magiſtratus ilicet iniviſti, publicas pecunias, quae peribant, reſtituiſti, Ravennatis agri culturam auxiſti, novas ad portum vias aperuiſti, nova ad ipſum portum aedificia extuliſti, commercium, navigationem adiuviſti, Divi Alberti Conventum mutua voluntate Reipublicae Ravennati contribuiſti, publicas & privatas maximas lites conciliaſti, Legatus de maximis rebus miſſus ad Urbem graviſſima illa tua & patriarum & civilium rerum cognitione Civitatis iura rata feciſti, Legatus item ad E. D. Cardinalem Boncompagnium Bononiae Legatum, de Rheni aliorumque fluminum mutatione, rem ſatis per ſe implicitam & ancipitem compoſuiſti.

Nec vero negotiis tuis otium tuum vilius iudicandum. Cum enim tu Celſiani praecepti memor, quod modo in urbe, modo in agro, ſæpius in agro vitam degendam iubet, in villam tuam Gualdum identidem ſecedis, quae Caeſenam inter & Ariminum ſita, Viam Aemiliam adiacens, ſaluberrimo aere praedita, hinc Gallicam hanc planitiem, qua circumdatur, deſpectat, hinc amoeniſſimos, qui longe impendent, Apennini colles ſuſpectat, tu ipſe Agricolturam & Architectonicen bene doctus, vel cultius fertiliſſimum latifundium tuum inſtituis, vel maximam urbanam & ruſticam villam a fundamentis iterum exſtruis & diſponis, vel in tua, quam ruſticam vocas, quam philoſophicam ego voco, Bibliotheca te abſcondens, omnium artium, ſcientiarum omnium cognitione animum tuum informas, ita ut ego, qui Gualdum duobus vix millibus paſſuum Sabiniano diſtans, dum facultas datur, ſaepius te conventurus concedam, tecum totos dies vel legens, vel colloquens ita delecter, ut a patriarum & domeſticarum rerum curis abductus, tunc tantum mihi beatam vitam vivere videar.

Quae cum ita ſint, quis a me bene factum non iudicet, ſi tibi, Vir nobiliſſime, & artium ſollertiſſime, hunc tertio editum, emendatum, & auctum Libellum inſcripſerim, qui nobiliſſimam antiquarum purpurarum artem curet reſtituendam? Perlege igitur, &,

quae

quae tua eſt virtus, iudica. Et ſi nobilitatem artis admiraberis, ſi reſtitutionis facilitatem etiam ut ſpero animadvertes, tùm te precor quaeſoque, ut quemadmodum auctorem iampridem, ita libens volens iam nunc Libellum ipſum in tuam fidem recipias.

Dat. Sabiniano Kalendis Ianuariis anni Chriſtiani MDCCLXXXIV.

IN-

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

CAP. I. DE duplici tincturae genere apud antiquos, purpureo & herbaceo. Pag. I
CAP. II. De Colore ſimplici purpureo nigro. pag. I
CAP. III. De Colore ſimplici purpureo livido. pag. II
CAP. IV De Colore ſimplici purpureo violaceo. pag. IV
CAP. V. De Colore ſimplici purpureo rubido Tyrio. pag. V
CAP. VI. De Colore ſimplici purpureo caeruleo ſaturatiore, ſive hyacinthino. pag. VII
CAP. VII. De Colore ſimplici purpureo caeruleo ſaturatiore, ſive niolochino. pag. X
CAP. VIII. De Colore ſimplici purpureo flavo. pag. X
CAP. IX. De Colore ſimplici purpureo rubicundo. pag. XI
CAP. X. De Colore ſimplici purpureo candido. pag. XII
CAP. XI. De Coloribus ſimplicibus purpureis generatim. pag. XIII
CAP. XII. De Diviſione Colorum ſimplicium purpureorum. pag. XIII
CAP. XIII. De Coloribus purpureis mixtis. pag. XV
CAP. XIV. De Oſtro. pag. XVI
CAP. XV. De Coloribus herbaceis. pag. XVII
CAP. XVI. De Colore coccineo. pag. XVIII
CAP. XVII. De Colore puniceo, aut phoeniceo. pag. XIX
CAP. XVIII. De Colore blatteo, vel blattae. pag. XX
CAP. XIX. De Diſcrimine Coloris coccinei, & purpureorum. pag. XXI
CAP. XX. De prima Cauſſa tot Colorum purpureorum. pag. XXV
CAP. XXI. De ſecunda Cauſſa tot Colorum purpureorum. pag. XXVII
CAP. XXII. De Conchis purpurariis. pag. XXVII
CAP. XXIII. De Piſcatione Concharum purpurariarum. pag. XXX
CAP. XXIV. De Praeparatione Concharum purpurariarum. pag. XXXII
CAP. XXV. De Tinctura Colorum purpureorum. pag. XXXV
CAP. XXVI. De Foetore Colorum purpureorum, & de Purpurariis. pag. XXXIX
CAP. XXVII. De Mutatione verſicolori Colorum purpureorum. pag. XL
CAP. XXVIII. De Splendore Colorum purpureorum. pag. XLII
CAP. XXIX. De Immortalitate Colorum purpureorum. pag. XLIV
CAP. XXX. De Mollitie Colorum purpureorum. pag. XLVI
CAP. XXXI. De Materia Veſtium purpurearum. pag. XLVI
CAP. XXXII. De Diſcrimine veſtium purpurearum. pag. XLIX
CAP. XXXIII. De Clavis purpureis. pag. XLIX
CAP. XXXIV. De Limbis purpureis. pag. LI
CAP. XXXV. De Clavis & Limbis aureis. pag. LII
CAP. XXXVI. De Clavis & Limbis candidis, & coccineis. pag. LIII
CAP. XXXVII. De Veſtibus pictis. pag. LIV
CAP. XXXVIII. De Ratione ornandi Veſtes Clavis, aut Picturis. pag. LV
CAP. XXXIX. De Tunica laticlavia. pag. LV

CAP. XL.

Digitized by Google

CAP. XL. *De Tunica anguſticlavia.* Pag. LVII
CAP. XLI. *De Praetexta, & Trabea.* pag. LVIII
CAP. XLII. *De Chlamyde, aut Paludamento.* pag. LIV
CAP. XLIII. *De Tunica palmata, & Toga picta.* pag. LXI
CAP. XLIV. *De Calceis.* pag. LXII
CAP. XLV. *De Veſtibus, & Vexillis militaribus.* pag. LXIII
CAP. XLVI. *De Veſtibus muliebribus, & ſtragulis.* pag. XVIII
CAP. XLVII. *De Signis Deorum, Encauſto, & Picturis purpureis.* pag. LVIX
CAP. XLVIII. *De Pretio Colorum purpureorum.* pag. LXV
CAP. XLIX. *De Sumptibus in Coloribus purpureis condendis.* pag. LXVIII
CAP. L. *De Pretio Coloris coccinei, & herbaceorum.* pag. LXXI
CAP. LI. *De Inventione Purpurarum.* pag. LXXII
CAP. LII. *De Uſu Purpurarum apud omnes antiquiores Nationes, & Romanos uſque ad Regifugium.* pag. LXXV
CAP. LIII. *De Uſu Purpurarum apud Romanos a Regifugio ad Julium Caeſarem.* pag. LXXVII
CAP. XIV. *De uſu Purpurarum a Julio Caeſare ad M. Aurelium.* pag. LXXIX
CAP. LV. *De Uſu Purpurarum a M. Aurelio ad Gratianum & Theodoſium Magnum.* pag. LXXXI
CAP. LVI. *De Uſu Purpurarum Gratiani & Theodoſii Magni temporibus.* pag. LXXXIII
CAp. LVII. *De Uſu Purpurarum a Theodoſio Magno ad Imperii occidentalis ruinam.* pag. LXXXVI
CAP. LVIII. *De Uſu purpurarum ab Imperii occidentalis ruina ad Heraclium.* pag. LXXXVIII
CAP. LIX. *De Uſu Purpurarum ab Heraclio ad decimum ſeculum.* pag. XCI
CAP. LX. *De Uſu Purpurarum a decimo ſeculo ad Imperii orientalis ruinam.* pag. XCIII
CAP. LXI. *De Purpuris, Buccinisque noſtratibus.* pag. XCVI
CAP. LXII. *De tentata Reſtitutione Purpurarum.* pag. XCVIII
CAP. LXIII. *De vera Reſtitutione Purpurarum.* pag. CII
CAP. LXIV. *Appendix.* pag. CIV

Digitized by Google

PASCHALIS AMATII

SABINIANENSIS

DE RESTITUTIONE PURPURARUM

LIBER.

CAPUT I.

De duplici tincturae genere apud antiquos, purpureo, & herbaceo.

PRaeſari breviter operae pretium eſt, plurima nova, de quibus altum in libris noſtrorum hominum ſilentium, plurima etiam nova omnibus libris noſtrorum hominum adverſantia, in hoc libello eſſe invenienda: nos vero neminem impugnaturos, cauſſam tantum noſtram dicturos, lectores doctos judicaturos. Quod igitur fauſtum, felixque ſit, initium rei facimus.

Duplex omnino tincturae genus apud antiquos homines viguit: alterum conchis marinis, alterum herbis paratum: illud purpureum, hoc herbaceum nuncupatum: colores ex illo profecti, purpurei: colores ex hoc profecti, herbacei appellati. Plinius Hiſt. natur. lib. VIII. cap. XLVIII. *Lanarum nigrae nullum colorem bibunt. De reliquarum infectu ſuis locis dicemus, in conchyliis marinis, aut herbarum natura.* D. Cyprianus de diſciplina, & habitu virginis. *Neque enim Deus..... herbarum ſuccis, & conchyliis tingere, & colorare lanas docuit.* Utrumque genus plurimos colores edidit. Colores purpurei fuerunt novem ſimplices, & quinque mixti. Novem colores purpurei ſimplices erant, niger, lividus, violaceus, rubidus, caeruleus ſaturatior, caeruleus dilutior, flavus, rubicundus, candidus. Quinque colores purpurei mixti erant rubidus violaceus, rubidus caeruleus ſaturatior, rubidus caeruleus dilutior, rubidus flavus, rubidus rubicundus. Colores herbacei plurimi etiam fuerunt. Nos de purpureis plurimum, quod opus eſt noſtrum, de herbaceis minimum loquemur.

CAPUT II.

De Colore ſimplici purpureo nigro.

COlor primus purpureus ſimplex erat niger. Ariſtot. Hiſt. animal. lib. V. c. XV.: Εισι δε των πορφυρων γενη πολλα..... και αι μεν εν τοις κολποις μεγαλαι, και τραχειαι, και το ανθος αυτων αι μεν πλεισται μελαν εχουσαι.... Ετι δε εν μεν τοις Βορειοις μελαιναι.... ως επι επι το πλειστον. *Purpurarum ſunt genera plura. Pelagiae magnae ſcabraeque ſunt, & florem habent pleraeque nigrum... Immo in plagis ad ſeptemtrionem vergentibus purpurae plerumque ſunt nigrae.* Vi-

truvius Architect. lib. VII. cap. XIII. *Incipiam nunc de oſtro dicere, quod & cariſſimam, & excellentiſſimam habet, praeter hos colores, aſpectus ſuavitatem. Id autem excipitur ex conchylio marino, quo purpura inficitur, cujus non minores ſunt, quam ceterarum naturae rerum, conſiderantibus admirationes, quod habet non in omnibus locis, quibus naſcitur, unius generis colorem, ſed ſolis curſu naturaliter temperatur. Itaque quod legitur Ponto & Gallia, quod hae regiones ſunt proximae ad ſeptentrionem, eſt atrum.* Plutarchus Catonem in ejus vita inducit purpura hae nigra fere ſemper obſitum. *Επει πορφυραν εωρα την κατακορως ερυθραν, και οξειαν αγαπωμενην, αυτος εφορει την μελαιναν. Cum Cato vidiſſet purpuram vivide rubram, acutam, & amabilem, ipſe nigram purpuram induit.* D. Gregorius Nyſſenus in Oratione S. Theodori ait Romanos Imperatores, ut ſe etiam Pontifices maximos oſtentarent, hujuſmodi obſolcta purpura indui ſolitos. Tom. II. Oper. pag. MXV. *Εγω και τους βασιλεας τουτους ελεω, οτι αυταρκες εν ανθρωποις αξιωμα το κρατος της βασιλειας εχοντες, την του αρχιερεως εαυτοις προσηγοριαν ανεθεσαν, και την πενθηρη και σκοτεινην πορφυραν εκειθεν αμπισχονται, κατα μιμησιν των κακοδαιμονων αρχιερεων, αξιωματι φαιδρω, σκυθρωπον περιφεροντες ενδυμα. Me etiam Imperatorum horum miſeret, quod ſatis magnam inter homines dignitatem regium imperium obtinentes, Pontificis appellationem ſibi ſumpſerunt, & lugubrem obſcuramque purpuram iccirco induuntur ad imitationem infelicium Pontificum, in dignitate ſplendida triſte circumgeſtantes indumentum.* Cicero quoque hujuſce nigrae, aut fuſcae purpurae meminit in Oratione pro P. Sextio. *Veſtitus aſper noſtra hac purpura plebeia, ac pene fuſca.* Meminit etiam Columella Rei ruſticae lib. II. cap. XLV. *Sunt complura lactucae genera .... earum quae fuſci, ac veluti purpurei coloris.*

C A P U T III.

De Colore ſimplici purpureo livido.

Color ſecundus purpureus ſimplex erat lividus, nimirum niger caeruleo mixtus. Meminit Vitruvius citato loco. *Progredientibus inter ſeptentrionem, & occidentem invenitur (conchylium) lividum.* Martialis lib. VIII. epig. XXVIII.

Te nec Amyclaeo decuit livere veneno. Statius lib. I. Silvarum:

Purpura ſaepe
Oebalis, & Tyrii moderator livet aheni. Horatius lib. II. Ode V.

Jam tibi lividos
Diſtinguit autumnus racemos
Purpureo varius colore.

Purpura quaedam apud antiquos in laude erat, quae Ferrugo ab ipſis appellaretur. Virgilius Aeneidos lib. IX.:

Pictus acu chlamydem, & Ferrugine clarus Ibera.

Et lib. II. ejuſdem Aeneidos:

Ipſe peregrina Ferrugine clarus & Oſtro.

Jam vero haec purpura Ferrugo ipſa haec erat livida purpura. Servius ad memoratum Virgilii verſum lib. IX. Aeneidos. *Ferrugo coloris genus eſt, qui vicinus eſt purpurae ſubnigrae.* Idem Servius ad lib. I. Georgices: *Ferrugine texit. Ferrugo eſt purpura nigrior Hiſpana.* Nec audiendi qui colorem ferrugineum,

vel

Digitized by Google

vel purpurae Ferruginis, ſubrubrum fuiſſe autumant, nimirum rubiginoſum, aut rubiginis ferri ſimilem. Jam enim audivimus Servium eum ſubnigrum, ſive lividum, non vero ſubrubrum vocantem. Plinius deinde lib. XXIX. cap. VI. lacertas deſcribit *virides ferrugineis maculis diſtinctas*, & lacertarum maculae nobis liquidiſſime non ſubrubrae, aut rubiginoſae, ſed lividae apparent. Plautus in Milite Act. IV. Scen. IV. ferrugineum colorem maris colori comparat. *Palliolum habeas ferrugineum, nam is color thalaſſicus eſt*. Noſque ipſi mare lividum conſpicimus, cum remis, aut ventis agitatur, ut etiam mox clarius enarrabimus. Obſervandum denique voces ferrugineus, & Ferrugo a voce Ferrum liquido deſcendere, non vero a voce Rubigo, a qua tantum vox rubiginoſus proficiſci videtur. Ferrum autem, ſi terſum & politum ſit, quodque optime nos Itali *ferro imbrunito* appellare conſuevimus, colorem lividum, ſive nigrum caeruleo mixtum clariſſime oſtendit. Immo Nonius ipſe hanc coloris ferruginei a ferro originem fere probat. *Ferrugineum colorem ferri ſimilem eſſe volunt. Vere autem ferrugineus color caeruleus eſt*. Et licet ille ibidem ferrugineum caeruleum malit, imprudens tamen rem noſtram confirmat. Ferrum enim ipſum terſum caeruleum eſt, quamvis atrore mixtum, & proinde eſt lividum, uti demonſtravimus.

Color quoque Venetus antiquorum non jam caeruleus, uti plerique ſentiunt, ſed ferrugineus, & lividus, uti haec purpura Ferrugo, ſive niger caeruleo mixtus erat. Creſconius Corippus lib. I. Panegyrici in laudem Juſtini II. colorem Venetum non tantum aſſimilat vel Ferrugini, cujus colorem lividum vidimus, vel Oſtro, cujus colorem ſubnigrum mox videbimus, ſed etiam colori uvarum nigrarum, & olivarum, cum maturae fuerint.

Autumni Venetus ferrugine dives & oſtro
Maturas uvas, maturas ſignat olivas.

Quis vero non viderit uvas nigras, & olivas matureſcentes omnino lividas, & proinde Veneti coloris? Columella ipſe lividas eſſe maturas olivas affirmavit lib. XIV. cap. XLVII. *Oliva livorem contrahit*. Et lividas uvas maturas Horatius lib. II. Ode V.

Jam tibi lividos
Diſtinguit autumnus racemos
Purpureo varius colore.

Corippus ipſe eodem loco quatuor celebres partium Circi colores, nimirum album, rubrum, venetum, praſinum, quatuor anni temporibus ita aſſimilat:

Aurigas totidem, totidem poſuere colores.
Nam viridis vernis campus ceu concolor herbis,
Pinguis oliva comis, luxu nemus omne vireſcit.
Ruſſeus aeſtati rubra ſic veſte refulgens,
Ut nonnulla rubent ardenti poma colore.
Aequiparans candore nives, hiemiſque pruinas
Albicolor viridi ſocio conjungitur una.
Autumni Venetus ferrugine dives & oſtro
Maturas uvas, maturas ſignat olivas.

Ita vero eos ipſos colores quatuor eiſdem anni temporibus aſſimilat Caſſiodorus lib. III. *Colores autem in vicem temporum quadrifaria diviſione funduntur. Praſinus virenti verno, Venetus nubilae hiemi, Roſeus aeſtati flammeae, Albus pruinoſo autumno dicatus eſt*. Si igitur Venetum colorem Corippus autumno, Caſſiodorus

ſiodorus hiemi aſſimilat, quis etiam non videat horum duorum anni temporum pluvios, & turbidos dies, vere lividos, non vero caeruleos poſſe vocitari? Mare etiam remis aut undis agitatum eſt lividum, & proinde ad ſignificandum hunc colorem purpureum lividum, quem omnino oſtendit, vocitatum fuiſſe purpureum ipſum mare ab omni Graeca, & Latina antiquitate non dubitemus. Cicero Academic. lib. III. *Mare illud, quod Favonio naſcente purpureum videtur.* Idem Cicero in Academicis apud Nonium in Verbo *purpuraſcit. Quid mare, nonne caeruleum, aut ejus unda, cum eſt pulſa remis, purpuraſcit?* Plinius lib. IX. cap. XXXVI. *Sed unde conchyliis pretia? Quid virus grave in fuco, color auſterus in glauco, & iraſcenti ſimilis mari?* Furius Antias apud Gellium Noct. Attic. lib. XVIII. cap. 11.:

Spiritus Eurorum virides cum purpurat undas.

Propertius lib. II. eleg. XVIII.

purpureis agitatam fluctibus Hellen.

Virgilius Georgices lib. IV.:

Eridanus, quo non alius per pinguia culta
In mare purpureum violentior incidit amnis.

Et Servius ad illos verſus: *Purpureum autem nigrum ex altitudine accipimus. Nam Padus non in rubrum mare, ſed iuxta Ravennam in Adriaticum cadit. Et purpureum Graecum eſt epithetum. Mare rubrum etiam dixit Homerus. Unde apparet Victorinum hoc loco erraſſe, qui purpureum mare rubrum eſſe dixit, quod eſt iuxta Indiam.* Et re quidem vera Homerus praeter ceteros Graecos pluries dixit, εις ὑδατι πορφυρεοισιν, *in purpureis aquis*, εις αλα πορφυρεσσαν, *in purpureum mare*, nempe in lividum mare, uti contra Virgilius aperte lividas Lethis aquas vocavit Aeneidos lib. VI:

remis vada livida verrunt.

Et uti Catullus Carm. XVIII. lividiſſimas Benaci aquas nuncupavit:

Verum totius ut lacus, putidaeque paludis
Lividiſſima, maximeque eſt profunda vorago.

CAPUT IV.

De Colore ſimplici purpureo violaceo.

Color tertius purpureus ſimplex erat violaceus. Vitruvius eodem citato loco. *Quod autem (conchylium) legitur ad aequinoctialem orientem & occidentem, invenitur violaceo colore.* Plinius lib. XXI. cap. VIII. *Alium (colorem) in amethyſto, qui in viola, & ipſum purpureum, quemque ianthinum appellamus.* Et ſane adeo ſimilis erat tertius iſte ſimplex purpureus color violae martiae colori, ut ab eo ipſo flore, qui *ιον* Graece vocatur, nomen coloris violacei & ianthini traxerit. Immo ipſa viola martia procul dubio purpurea vocata fuit ad hunc purpureum violaceum colorem ſignificandum, quem numeris omnibus abſolutum praeſeferebat. Cornelius Nepos apud Plinium lib. IX. cap. XXXIX. *Me, inquit, juvene violacea purpura vigebat.* Horatius lib. II. epiſt. 1.

Lana Tarentino violas imitata veneno.

Venantius Fortunatus Poem. VII. lib. VII.

Aureus ordo crocis, violis hinc blatteus exit.

Idem

Idem Fortunatus Poem. VIII. lib. VII.

Purpura per violas, aurea forma crocus.

Plinius idem lib. XXI. cap. VI.: *Violis honos proximus. Earum plura genera; purpureae, luteae, albae. Ex iis vero, quae ſponte apricis & macris locis proveniunt, purpureae... Graeco nomine a ceteris diſcernuntur, appellatae* ιον, *ut ab his ianthina veſtis.* Martialis lib. II. epigr. XXXIX.

Coccina famoſae donas & ianthina moechae.

Similis erat etiam tertius iſte ſimplex purpureus color amethyſto, quae gemma eſt violaceo colore affatim perfuſa. Plinius non tantum citato loco, ſed etiam lib. XXXVII. cap. XIX. *Alius ex hoc ordo purpureus dabitur, & ab illis deſcendentibus. Principatum amethyſti Indicae tenent . . . . Cauſſam nominis afferunt, quod uſque ad vini colorem accedens, prius quam eum deguſtet, in violam deſinat, fulgorque quidam in illa ſit purpurae, non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens. Perlucent autem omnes violaceo colore. Indicae abſolutum felicis purpurae colorem habent, ad hancque tingentium officinae dirigunt vota.* Hinc ipſe color purpureus violaceus vocabatur etiam amethyſtinus, amethyſtinaeque vocabantur illae veſtes, quae hoc colore violaceo tingerentur. Juvenalis Sat. VII.

Purpura ſpondet
Cauſſidicum, ſpondent amethyſtina.

Martialis lib. I. epigr. XCVII.

Amethyſtinaſque mulierum vocat veſtes.

Idem Martialis lib. II. epigr. LVII.

Amethyſtinatus media qui ſecat ſepta.

Venantius Fortunatus lib. VII. poem. III.

Alligat & nitidos amethyſtina vitta capillos.

Hinc etiam ad hunc purpureum violaceum colorem ſignificandum procul dubio vocatae fuerunt purpureae hae ipſae amethyſti a Plinio in laudato loco. *Alius ex hoc ordo purpureus dabitur..... Principatum amethyſti indicae tenent.* Et ab Ovidio de arte amandi lib. III.

Hic Paphias myrtus, hic purpureas amethyſtos.

Flos etiam Amelli colore ſuo abſolute referebat hunc ipſum violaceum purpureum colorem, & proinde ipſe flos, eo quod violaceus, purpureus dictus eſt a Columella, & aperte purpureus violaceus a Virgilio. Columella lib. IX. *Amelli radix, cujus eſt frutex luteus, purpureus flos.* Virgilius Georgices lib. IV.

Eſt etiam flos in pratis, cui nomen Amello
Fecere agricolae, facilis quaerentibus herba.
Aureus ipſe, ſed in foliis, quae plurima circum
Funduntur, violae ſublucet purpura nigrae.

C A P U T V.

De colore ſimplici purpureo rubido Tyrio.

Quartus purpureus color ſimplex rubidus erat, nimirum ruber nigritie multa mixtus. Plinius lib. XXI. cap. VIII. *Alium (colorem) in purpuris Tyriis, dibaphiſque & Laconicis.* Jam vero hae purpurae Tyriae & Laconicae rubidae erant, & rubidis floribus papaverum concolores. Manilius Aſtronomicon lib. V.

Liliaque

Digitized by Google

Liliaque, & Tyrias imitata papavera luces.

Nec non etiam rubido ſanguini concreto, rubidiſque roſis, quas *Damaſcenas* vocant, ſimiles erant. Plinius ipſe lib. IX. cap. XXXVI. *Purpurae florem illum tingendis expetitum veſtibus in mediis habent faucibus. Liquoris hic minimi eſt in candida vena, unde pretioſus ille bibitur nigrantis roſae color ſublucens.... Color ſanguinis concreti nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens.... Rorem eum excipientes Tyrii. Praecipuus hic Aſiae, in Meninge Africae, & Gaetulo littore Oceani, in Laconica Europae.* Hinc Caſſiodorus lib. I. epiſt. II. emphatice hunc colorem purpureum rubidum, obſcuritatem rubentem, & nigredinem ſanguineam vocat. *Color nimio lepore vernans, obſcuritas rubens, nigredo ſanguinea regnantem diſcernit, dominum conſpicuum facit, & praeſtat humano generi, ne de conſpectu principis poſſit errari.*

Rubida etiam ſunt mora matura, & ideo ad purpureum hunc colorem rubidum ſignificandum, quem clare promunt, purpurea mora ipſa vocata fuerunt ab Ovidio Metamorphoſeon lib. IV., quo loco enarrat ſanguinem Pyrami & Thisbes rubido ſuo colore mora ipſa infeciſſe.

Arborei foetus aſpergine caedis in atram
Vertuntur faciem, madefactaque ſanguine radix
Purpureo tingit pendentia mora colore....
Signa tene caedis, pulloſque & luctibus aptos
Semper habe foetus gemini monumenta cruoris.....
Vota tamen tetigere Deos, tetigere parentes,
Nam color in pomo eſt, ubi permaturuit, ater.

Uvas quoque nigras non aliter quam uvas purpureas vocavere antiqui homines, hac ipſa ſignificatione rubidi coloris, quem apprime oſtentant. Virgilius lib. II. Georgicon. *Uvae purpureae.* Horatius Ode II. Epodon.

Certantem & uvam purpurae.

Ovidius lib. IV. Metamorphoſeon.

Purpura fulgorem pictis accommodat uvis.

Et lib. VIII.

Et de purpureis collectae vitibus uvae.

Et denique lib. XIII.

Sunt auro ſimiles longis in vitibus uvae.
Sunt & purpurae. Tibi & has ſervamus & illas.

Plinius lib. XIV. cap. II.

Hic (vites) purpureo lucent colore, illic fulgent roſeo, nitentque viridi. Capitolinus in Maximini vita. *Poſita ab eodem vitis intra annum ingentes uvas purpureas attulit.* Vopiſcus in Taciti vita. *Vitis quae uvas Ammineas albas ferebat, eo anno, quo ille imperium meruit, purpuraſcere plurima purpura coepit.*

Hinc lapis etiam quidam Lapis purpureus, ſive Porphyrites, ſive Porphyra (unde Italicum verbum *Porfido*) ab antiquis hominibus appellabatur; eo quod rubidum hunc colorem purpureum aliquot tantum maculis albis interlitum praeſeferret, uti quiſque novit.

Eminebat Conſtantinopoli ampla domus hoc uno lapide conſtans, & ideo Purpura, ſive *πορφυρα* vocata, quam ita eleganter deſcribit Anna Comnena Alexiados lib. VII. Η *δε πορφυρα οικημα τι εστι κατα τα ανακτορα εξ αυτης της βασεως μεχρι της οροφου κινησεως δια τετραγωνου συμπληρουμενων σχηματος, εκει-*

θεν

θεν δε εις πυραμιδα αποτελευτων. αφορων μεν ως προς θαλατταν προς τον λιμενα, ουπερ οι πετρινοι βοες, και οι λεοντες. δια μαρμαρων δε το τε εδαφος κατεστρωτο, και οι τοιχοι περιστελλοντο, ου των τυχοντων, ουδε των αλλων οποσοι ευποριστοτεροι των τιμιωτερων λιθων εισιν, αλλ' εξ ων απο ρωμης οι ανεκαθεν βασιλεις επεσυραντο. Εστι δε ουτος ο λιθος ολως ειπειν πορφυρους δι' ολου, και οιον στιγματα τινα ψαμμοειδη λευκα αυτω περιτρεχουσιν. Εκ τουτωνι των λιθων πορφυραν το οικημα οι ανεκαθεν ωνομασαν. *Eſt autem* Purpura *aedificium quoddam prope imperiale Palatium ab ipſa baſi uſque ad tecti ſuggrundia quadrata conſtructum forma, hinc in pyramidem deſinens. Proſpectum habet mare verſus in eum portum, in quo lapidea viſuntur boum & leonum ſimulacra. Marmore ſolum conſtructum eſt, & parietes | tecti. Marmor porro iſtud non iam eſt ex vulgatis, neque ex excellentioribus, quotquot ſunt magis parabilia, ſed ex illis, quae ab urbe Roma primi Imperatores tranſtulerunt. Eſt is lapis purpureus totus, & tantum punctula alba arenae ſpecie eum percurrunt. Ex hiſce lapidibus Purpuram hoc aedificium antiqui vocaverunt.*

Inſerviebat autem haec porphyretica domus Auguſtarum puerperiis, & hinc Porphyrogenetae appellabantur Graecorum Imperatorum filii, non qui poſt comparatam a Patre imperii purpuram, ſed qui in hac domo, quae Purpura, ſive lapis purpureus vocabatur, nati eſſent. Eadem Anna Comnena Olympiados lib. VI. Ο δε βασιλευς . , . . την βασιλιδα κατα το αωρισμενον καλαι ταις τικτουσαις των βασιλιδων οικημα επι ταις ωδισιν ευρηκως, (πορφυραν δε τουτο οι ανεκαθεν ονομαζουσιν, εξ ου και το των πορφυρογεννητων ονομα εις την οικουμενην διεδραμεν). *Ceterum Imperator . . . . Auguſtam ſuam conjugem in dicata antiquitus puerperiis Auguſtarum aede in partus doloribus cum reperiſſet, (Purpuram autem ab antiquis temporibus hanc aedem vocant, unde Porphyrogenetarum nomen orbe toto manavit.*) Hic tamen, quamvis abs re fuerit, animadvertere liceat, Annam Comnenam relato loco adfirmantem, primos Conſtantinopolitanos Imperatores porphyreticos hoſce lapides uſque ab urbe Roma tranſtuliſſe, & proinde judicare fas ſit, ipſum Conſtantinum Magnum hanc domum inſtruxiſſe lapidibus illis porphyreticis, quibus iam Elagabalus plateas Romani Palatii ſtraviſſet, quoſque lapides Lampridius ipſe Conſtantino Maevus inde paucis ante annis eductos, quam ille hiſtoriam ſuam ſcriberet, adfirmat. Ita ille in Elagabali vita. *Stravit (Elagabalus) & ſaxis Lacedaemoniis ac Porphyreticis plateas in Palatio, quas Antoninianas vocavit, quae ſaxa uſque ad noſtram memoriam manſerunt, ſed nuper eruta ſunt.*

CAPUT VI.

De Colore ſimplici purpureo caeruleo ſaturatiore, ſive hyacinthino.

QUintus color purpureus ſimplex erat caeruleus auſterior, & violaceo mixtus. Julius Pollux Onomaſtici lib. I. cap. IV. το δε αιμα, επειδαν πυρι ομιληση, χεισθαι τε, και εξανθει. και το μεν ξανθιζεται, το δε κυαναυγες γιγνεται, το δε αλλο εις αλλην χροαν τρεπεται. *Sanguis (conchyliorum) cum igni efferbuerit, diffunditur, & effloreſcit. Et alius quidem fit flavus, alius caeruleus auſterus, aliuſque in alium vertitur colorem.* Plinius lib. XXI. cap. XIII. *Tertius eſt, qui proprie conchylii intelligitur, multis modis. Unus in Heliotropio, & in aliquo ex his plerumque ſaturatior.* Enimvero Heliotropium antiquorum florem hujuſ-

hujuſmodi habebat caeruleum ſaturatiorem. Plinius ipſe lib. XXI. cap. XXI. *Heliotropii caeruleum florem*. Hunc ipſum etiam Heliotropii florem uti caeruleum luridum, & violaceo mixtum ita deſcribit Ovidius Metamorphoſeon lib. IV. puellam Clytiam in hunc ipſum florem converſam enarrans.

partemque coloris
Luridus exſangues pallor convertit in herbas.
Eſt in parte rubor, violaeque ſimillimus ora
Flos tegit. Illa ſuum, quamvis radice tenetur,
Vertitur ad ſolem, mutataque ſervat amorem.

Quidquid igitur dicant noſtri Botanici homines, Heliotropium antiquorum flos ille non erat, quem nos Itali *Giraſole* vocitamus, quique non caeruleo, ſed flavo flore coruſcat. Quodnam igitur Heliotropium antiquorum? Certe Heliotropium, quod Graeci nominabant. Latini Intubum agreſte appellabant. Vegetius Veterinariae lib. III. cap. LXII. *Heliotropii unciam, quod intubum agreſte vocamus*. Neque id ullo modo dubitandum, Intubum enim ſive agreſte, ſive ſativum oculis noſtris teſtibus, & ad ſolem vertitur, & caeruleum florem habet ſaturatiorem, ſive violaceo mixtum, uti diximus.

Hac vero purpura caerulea fulgebat praecipue Regum Perſarum diadema. Curtius enim eodem libro VI. modo caeruleum, modo purpureum diadema ipſum vocat. Ita ille de Dario loquens: *Cidarim Perſae regium capitis vocabant inſigne: hoc caerulea faſcia albo diſtincta circuibat*. Et mox de Magno Alexandro loquens: *Itaque purpureum diadema diſtinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit*.

Eadem caerulea purpura concolori caeruleo caelo inficiebantur etiam fimbriae Hebraeorum juxta divinum praeceptum Num. cap. XX. Maimonides apud Bochartum Hierozoicon part. II. lib. V. cap. IX. *Cum fimbriarum thecheleth (ſeu purpuram) inſecturi ſunt..... ſanguinem* του *chilzon (conchae purpurae) afferunt.... & lanam in eum immergunt, donec fiat caelo concolor*.

Hyacinthus, Vaccinium, Iris, Gladiolus, unus erat apud antiquos idemque flos, licet ipſi noſtri Botanici homines eos diſtinguere ſatius ducant. Primo enim Virgilius Graecum Hyacinthum Theocriti in ſuum Latinum Vaccinium perſpicue vertit. Ita Theocritus Idyll. X.:

και το ιον μελαν εστι, και αγραπτα Υακινθος.

Ita Virgilius eclog. X.:

Et nigrae violae ſunt, & vaccinia nigra.

Clarius etiam Philargyrius antiquus interpres ad lib. IV. verſ. CLXXXIII. Aeneidos: *Qui Graece Hyacinthus, Latine Vaccinium dicitur*. Quoad reliqua vero duo nomina Iridis, & Gladioli clare Columella lib. IX. cap. IV. *Caeleſtis nominis Hyacinthus*. Nimirum Iridis caeleſtis nomine donatus. Clarius etiam Palladius Rei ruſt. lib. I. cap. XXXVII.: *Hyacinthus, qui Iris, vel Gladiolus dicitur*. Hic vero flos quadruplici nomine ornatus apud antiquos, ille ipſe flos erat, quem nos Itali *Giglio paonazzo* appellamus; quique moenia Sabinianenſium, qua ad meridiem vergunt, florido vere ſponte naſcens caerulea purpura exornat, proximoque oppidi vico nomen etiam *di contrada del Giglio* impertitur. Rem ita eſſe ut probetur, audiamus ſane deſcriptionem illius floris, quam nobis antiqui reliquerunt. Ita igitur eum deſcribit Servius ad eclog. III. verſ. CVI. Virgilii: *Hyacinthus ubique naſcitur, flos, qui natus eſt primo de Hyacinthi ſanguine,*

Digitized by Google

ne, poſtea de Aiacis, ſicut etiam Ovidius docet. Eſt autem quaſi lilium rubrum deſignans primam Hyacinthi litteram. Ita vero Ovidius immutatum referens in hunc ipſum florem puellum Hyacinthum Metamorphoſeon lib. X.:

Ecce cruor, qui fuſus humi ſignaverat herbas,
Deſinit eſſe cruor, Tyrioque nitentior oſtro
Flos oritur, formamque capit quam lilia, ſi non
Purpureus color his, argenteus eſſet in illis.
Ipſe ſuos gemitus foliis inſcripſit, & ai ai
Flos habet inſcriptum.

Jam vero eadem magnitudo, & eadem figura liliorum alborum, color caeruleus ſaturatior, ſive violaceo mixtus, qui maximus eſt Iridis caeleſtis color, nonnullae lineae florem tranſcurrentes, & fabuloſas litteras *ai ai* referentes, folia ipſa tam floris, quam plantae longa, & acuta, & proinde ſimillima gladio, & ſimillima Υ primae litterae Graeci vocabuli Υακινθος, hae omnes eaedem proprietates ſunt, quae a Servio, & ab Ovidio antiquo flori Hyacintho tribuuntur, quaeque in hunc florem, quem *Giglio paonazzo* appellamus, adamuſſim congruere videntur.

Jam vero hic, quem deſcripſimus, flos Hyacinthus colorem caeruleum ſaturatiorem, ſive violaceo mixtum oſtendit, teſtibus oculis noſtris, teſtibus antiquis ſcriptoribus ipſis. Columella lib. X. verſ. C. eum vocat aperte caeruleum: *caeruleos hyacinthos*. Virgilius vero eclog. X. verſ. XXXIX. nigrum hyacinthum non ſecus ac nigras violas refert, quaſi huic flori colorem caeruleum auſteriorem, aut violaceo mixtum donaturus:

Et nigrae violae ſunt, & vaccinia nigra.

Hinc idem hic flos Hyacinthus ratione coloris hujus purpurei caerulei ſaturatioris purpureus appellatus fuit ab Ovidio laudato loco referente puellum Hyacinthum in hunc ipſum florem converſum:

formamque capit, quam lilia, ſi non
Purpureus color his, argenteus eſſet in illis.

Et ab eodem Ovidio Metamorphoſeon lib. XIII. Aiacem in hunc ipſum florem converſum enarrante:

rubefactaque ſanguine tellus
Purpureum viridi genuit de cortice florem.

Ita etiam ipſe Ovidius Triſtium lib. I. eleg. 1.:

Nec te purpureo velent vaccinia ſucco.

Manilius Aſtronomicon lib. V. verſ. CCLXVIII.

Pallentes violas, & purpureos hyacinthos.

Euphorion:

πορφυρεη Υακινθε σε τουνομα φατιν αοιδοι.
Purpureae hyacinthe, te nomine vocant Poetae.

Lucianus in amoribus: Υακινθοις το καλον ανθουσιν ομοια πορφυροντες. *Cincinni perinde ac pulchre florentes hyacinthi purpuraſcentes.*

Immo hanc ipſam purpuram caeruleam ſaturatiorem antiqui homines ab hoc eodem flore Hyacinthinam appellare conſueverunt. Perſius Sat. I.:

Heic aliquis, cui circum humeros hyacinthina laena eſt.

Venantius Fortunatus lib. IV. Vitæ B. Martini:

ubi lana hyacinthina currit.

 Ter-

Tertullianus in libro habitus mulierum: *Parietes Tyriis, & Hyacinthinis... pro piſtura abutuntur*. Vopiſcus in Bonoſi Vita: *Tunicas palliolatas hyacinthinas ſubſericas*. Lex Theodoſii a Juſtiniano relata in Codicem ſuum ad titulum: *Quae res vendi poſſunt. Fucandae, atque diſtrahendae purpurae vel in ſerico, vel in lana, quae blatta, vel oxyblatta, atque hyacinthina dicitur.*

CAPUT VII.

De Colore ſimplici purpureo caeruleo dilutiore, ſive molochino.

SExtus color purpureus ſimplex erat caeruleus dilutior, ſive caeruleus rubicundo mixtus. Plinius laudato pluries loco: *Alius (color) in malva ad purpuram inclinans*. Quis vero neſciat flores notiſſimos ubique naſcentis malvae hocce colore caeruleo dilutiore, ſive mixto cum rubro, laetiſſime perfuſos? Nec alius erat profecto color molochinus antiquorum, quam iſte purpureus caeruleus dilutior, ita dictus a malva, quae μολοχη Graece dicitur. Nonius: *Molochinum a Graeco color eſt flori ſimilis malvae*. Immo Nonius ipſe referre non dubitat hunc Caecilii verſum molochinas veſtes nuncupantem:

Carbaſina, molochina, ampelina.

Et etiam Plauti verſum molochinarios huiuſmodi purpurae caeruleae dilutioris infectores vocantem:

Aſtant molochinarii, petunt fullones.

Non me latet verbum μαλακος ſolere verti *mollis*. Animadvertere tamen hic liceat, hanc ipſam vocem μαλακος ab ipſa malva, quae Graece etiam μαλαχη dicitur, proficiſci. Deinde quoque obſervandum molliſſimas fuiſſe purpuras omnes, uti cap. XXX. enunciabimus. Fieri igitur facile poſſit, ut vox μαλακος a μαλαχη, quae eadem malva eſt, proficiſcatur, & non iam mollem, ſed purpureum, immo hunc ipſum purpureum colorem caeruleum dilutiorem, qui floris malvae ſimilis ſit, ſignificare videatur. Muratorius pag. DCCCCXXXIX. n. VI. ſui Theſauri Inſcriptionum hanc epigraphen nobis refert: P. AVCTIVS P. F. LYSANDER VESTIARIVS TENVARIVS MOLOCHINARIVS. Hinc idem Muratorius ſubdit: *Veſtiarius Tenuarius is dicebatur, qui veſtes tenuiores conficiebat. Molochinarius, qui eiuſmodi veſtes molochini coloris parabat. Audi Nonium* &c. *Caecilium* &c. *Plautum* &c. *At malva Graecis μαλαχη malache appellata eſt: quod nomen aliis Graecis eſt μολοχη moloche. Proinde non uno errore labitur Iſidorus lib. XIX. cap. XXII. Originum, dum ſcribit: Molochinia veſtis, quae malvarum ſtamine conficitur.*

CAPUT VIII.

De Colore ſimplici purpureo flavo.

SEptimus color purpureus ſimplex erat flavus. Julius Pollux relato loco: το μεν ξανθιζεται. *Sanguis conchyliorum aliquando flaveſcit..* Plinius vero loco eodem colori violae ſerotinae, ſeu autumnalis comparat. *Alius (color) in viola ſerotina conchyliorum vegetiſſima*. Quae autumnalis, aut ſerotina viola flava erat, cum Plinius ipſe calthae concolorem faciat lib. XXI. cap. VI.: *Calathiana*

Digitized by Google

na (viola) munus autumni, caeterae veris. Proxima ei caltha eſt concolori amplitudine. Indubium autem eſt, calthae florem eſſe flavo colore niteſcentem, tum teſtibus oculis, tum teſte Italo nomine *di Fiorrancio*, quo caltham indigitamus, teſtibus denique ipſis antiquis ſcriptoribus. Virgilius eclog. II.:

Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

Columella lib. X. verſ. XCVII.

Candida leucoia, & flaventia lumina calthae.

Immo ipſe Plinius lib. XXI. cap. XI. aſſimilat violam ipſam ſerotinam flammae colori, quem flavum videmus, & a quo ipſa viola nomine Graeco phlox, nimirum flammea etiam nuncupabatur. *Florum prima ver nunciantium viola alba. Poſtea quae appellatur purpurea. Proxima flammea, quae & phlox vocatur.* Columella eodem lib. X. verſ. CI. hanc violam auro ipſi, quod flavum eſt, aſſimilat:

quae frondens purpurat auro,
Ponatur viola.

C A P U T IX.

De Colore ſimplici purpureo rubicundo.

OCtavus color purpureus ſimplex erat rubicundus. Ariſtoteles Hiſtor. anim. lib. V. cap. XV.: ενιαι δ' ερυθρον μικρον .... αι δ' εν τοις αιγιαλοις, και περι τας ακτας το μεν μεγεθος γινονται μικραι. το δε ανθος ερυθρον εχουσιν.... εν δε τοις νοτιοις ερυθραι, ως επι το πλειστον. *Purpurae quaedam florem habent aliquantulum rubrum. Quae vero in ſinibus degunt, aut circa littora, magnitudine parvae ſunt, habent autem florem rubrum... In plagis vero ad meridiem vergentibus purpurae plerumque rubrae ſunt.* Vitruvius eodem lib. VII. cap. XIII. *Quod vero (conchylium) meridianis excipitur regionibus, rubra procreatur poteſtate, & ideo hoc rubrum Rhodo etiam inſula creatur, ceteriſque huiuſmodi regionibus, quae proximae ſunt Solis curſui.* Haec vero purpura rubicunda a Graecis purpura οξυς, ſive acuta vocabatur, eo quod rubicundus color ceteris naturae coloribus ſit vere acutior, & vividior. Plutarchum iam audivimus in Catonis vita vocantem πορφυραν καταχορως ερυθραν, και οξειαν. *Purpuram valde rubram, & acutam.* Legem quoque Theodoſii audivimus, a qua nominatur purpura, quae blatta, vel oxyblatta dicitur. Addatur denique Cedrenus in Vita Tiberii II.: των μερων φορουντων στολας σωληνωτας απο βλαττιου οξεος. *Factionibus Circi ferentibus ſtolas purpura acuta virgatas.*

Meminit I. C. Ulpianus purpurae cuiuſdam, quam Buccinum vocat. Ita ille in L. Si cui lana D. De Legatis III. *Appellatione purpurae...... Buccinum & Hyacinthinum continebitur.* Haec autem Buccini purpura haec ipſa erat rubicunda purpura, cum concha illa, cui Buccino nomen erat, & quae nomen huic ipſi purpurae praeſtabat, colorem coccineum praeberet, qui profecto color erat rubicundus, uti cap. XVI. probabimus. Plinius relato lib. IX. cap. XXXVIII.: *Buccinum......dat auſteritatem illam, nitoremque, qui quaeritur, Cocci.* Hic tamen obſervandum, ceteros quidem omnes purpureos colores fuiſſe immortales, ut cap. XXIX. palam fiet, hunc vero rubicundum colorem Buccini vocatum, celerrime evaneſcere, & extingui conſueviſſe. Plinius eodem loco. *Rubeus color ni-*

grante deterior. Buccinum per ſe damnatur, quoniam fucum remittit. Locus etiam Quintiliani huc referendus. Ait itaque hic egregius Rhetor lib. XII. cap. X. Rhetorices, orationem floridis argutiis plenam placere, cum primum audias, uti veſtis infecta coloribus non purpureis placet: eandem deinde orationem minus placere, ſi cum altera matura oratione comparetur, uti etiam minus placet veſtis coloribus non purpureis infecta, ſi cum purpurea tantum lacerna comparetur: (lacernae enim tunc temporis omnes purpureae erant, uti plura etiam unius Martialis carmina undequaque hoc libro relata ſatis probant) ipſam denique orationem ad ſeverum examen revocatam, & frigiditate argutiarum detecta, eo inenarrabili modo deformem viſum iri, uti Buccini purpuram, cum haec illum ſuum colorem rubicundum, quem parvo tempore ementita fuerit, tandem omnino dimiſerit. *Sed evaneſcunt haec, atque emoriuntur comparatione meliorum, ut lana tincta fuco citra purpuram placet: at ſi contuleris etiam lacernae, conſpectu melioris obruatur, ut Ovidius ait. Si vero iudicium his corruptis acrius adhibeas, ut Buccini purpura, iam illud quod fefellerat, exuat mentitum colorem, & quadam vix enarrabili foeditate palleſcat.*

CAPUT X:

De Colore ſimplici purpureo candido.

NOnus color purpureus ſimplex erat candidus. Plinius lib. XXXVII. cap. XIX. *albicante purpurae deiectu.* Codinus in cap. II. Officiorum Eccleſiae & Aulae Conſtantinopolitanae nuncupat λευκον βλατιον, *purpuram candidam.* Plutarchus in Alexandri Magni vita hunc Regem affirmat in Perſide magnam purpurae rubicundae, & candidae vim reperiſſe: Οπου φασι και πορφυρας Ερμιονικης ευρεθηναι ταλαντα πεντακισχιλια, συγκειμενης μεν εξ ετων δεκα δεοντων διακοσιων, προσφατον και το ανθος ετι και νεαρον φυλαττουσης. αιτιον δε τουτου φασιν ειναι, το την βαφην δια μελιτος γινεσθαι των αλουργων, δι' ελαιου δε λευκου, των λευκων. και γαρ τουτων τον ισον χρονον εχοντων την λαμπροτητα καθαραν, και στιλβουσαν ορασθαι.

Ubi ajunt reperta talenta quinquaginta millia purpurae Hermionices a ducentis fere annis repoſitae, & ſervantis adhuc recentem florem, & colorem ſuum. Cujus rei cauſſam eſſe dicunt, quod purpurarum rubicundarum tinctura melle paretur, tinctura autem purpurarum candidarum oleo albo. In his enim purpuris, cum tempus memorato aequale habuerint, purus, & lucidus ſplendor apparet.

Albinovanus bis reperitur vocaſſe purpuream nivem, quae candida ſit, in Elegia in obitum Maecenatis.

Purpurea ſub nive terra latet.
Brachia purpurea candidiora nive.

Horatius lib. IV. ode I. vocavit purpureos etiam candidos cycnos.

Purpureis ales oloribus.

Denique Ovidius, & Catullus purpuream nuncuparunt ipſam candidiſſimam lucem. Ita Ovidius:

Laetaque purpurea luce refulſit humus.

Catullus Epithal. Pelei, & Thetidis.

Purpureaque procul nantes a luce refulgent.

Sata-

Satagunt commentatores, & Grammatici, ut haec translata verba eſſe nobis fidem faciant. Nos credimus haec propria, & candorem nivis, lucis, olorum candido colori hujus purpurae ab hiſce ſcriptoribus propriiſſime comparatum. Si qua enim purpura candida non fuiſſet, nae infeliciſſime ſcriptores iſti candidam nivem, candidam lucem, candidos olores cum purpureis coloribus, quorum nullus candidus eſſet, comparaſſent.

CAPUT XI.

De Coloribus ſimplicibus purpureis generatim.

NOvem igitur fuere purpurei colores marinis conchis producti, quos ſimplices vocamus. Primus erat niger. Secundus erat lividus, ferrugineus, venetus, aut niger caeruleo mixtus, ſimiliſque colori livido ferri terſi, olivarum maturarum, uvarum nigrarum, & maris a ventis, remiſque agitati. Tertius erat violaceus, ſimilis violaceo colori violae martiae, amethyſti, & amelli. Quartus erat rubidus, ſimilis colori rubido papaverum, ſanguinis concreti, roſarum nigrarum, quas Damaſcenas vocant, mororum, uvarum rubidarum, & lapidis purpurei, ſive Porphyritis. Quintus caeruleus ſaturatior, ſive caeruleus violaceo mixtus erat, ſimiliſque colori caeruleo ſaturo ſereni caeli, heliotropii, hyacinthi. Sextus erat caeruleus dilutior, ſive caeruleus rubro mixtus, ſimiliſque colori caeruleo dilutiori florum malvae. Septimus erat flavus, ſimilis colori flavo violae ſerotinae, calthae, flammae, & auri. Octavus erat rubicundus. Nonus denique erat candidus, ſimilis candori nivis, & lucis, & cycnorum.

Nulla profecto res nos fallere potuit in definiendis, metandiſque hiſce novem purpureis coloribus ſimplicibus. Nos antiquos Scriptores audivimus affirmantes, eoſdem novem purpureos colores ſimiles omnino fuiſſe relatorum naturalium corporum coloribus. Immo aſſeverat Plinius antiquos purpurarios artifices, cum purpuras conderent, eorundem naturalium corporum colores ſuis hiſce factitiis purpureis coloribus quam vividiſſime imitari, & exprimere, & fere cum natura ipſe certare conſueviſſe. Ita ille lib. XXXVII. cap. XIX. *Indicae amethyſti abſolutum felicis purpurae colorem habent, ad hancque tingentium officinae dirigunt vota.* Et lib. XXI. cap. VIII. *Luxuria veſtibus quoque provocavit eos flores, qui colore commendantur.* Hinc purpureorum colorum, & florum, corporumque, quae diximus, concolori ſimilitudine deſcripta, haec addit. *Paria nunc componuntur, & natura, atque luxuria depugnant.* Colores igitur florum, & corporum, quos retulimus, archetypa ſunt, & novem ſimplices factitii purpurei colores, quos deſcripſimus, imagines erant. Si imagines periere, ſuperſunt adhuc ea archetypa, quae de veritate purpureorum novem colorum ſimplicium, de quibus hactenus verba ſunt facta, nihil nobis dubitandum eſſe ſpondeant.

CAPUT XII.

De diviſione Colorum ſimplicium purpureorum.

SAepiuſcule nominat eodem loco Plinius colores purpurae, & colores conchylii, uti duos colores omnino diſtinctos, & diverſos. Ita ille lib. VI. cap.

XXIX.

Digitized by Google

XXIX. de Tyro loquens. *Nunc omnis ejus (Tyri) nobilitas conchylio, atque purpura conſtat.* Et lib. XXIX. cap. XXXV. *Sed quota haec portio eſt reputantibus purpuras, conchylia, margaritas?* Ita pariter lib. VIII. cap. XLVIII. *Vidimus iam & viventium vellera purpura, cocco, conchylio infecta.* Et demum lib. XXXVII. cap. IX. *Gallia herbis Tyrium, atque conchylium tingit.* Ita etiam Svetonius in vita Caligulae cap. XVII. *Pueris, ac feminis faſcias purpurae, ac conchylii diſtribuit.* Sed huiuſmodi diſtinctionem declarat ipſe Plinius lib. XXI. cap. VIII. aſſerens primum purpuram Tyriam, aut Laconicam rubidam, & purpuram violaceam, aut amethyſtinam vocari proprie, & peculiariter purpuras, aut purpureos colores. *Hos colores animadverto tres eſſe principales. Unum.... in purpuris Tyriis, dibaphiſque, & Laconicis. Alium in amethyſto, qui in viola, & ipſum purpureum, quemque ianthinum appellamus.* Aſſerit deinde Plinius eodem loco, purpuram caeruleam ſaturam ſimilem heliotropio, purpuram caeruleam dilutam ſimilem flori malvae, & purpuram flavam ſimilem violae ſerotinae, proprie & peculiariter vocari conſueviſſe conchylia, aut conchylii colores: *tertius eſt, qui proprie conchylii intelligitur, multis modis. Unus in heliotropio, & in aliquo ex his plerumque ſaturatior. Alius in malva ad purpuram inclinans. Alius in viola ſerotina conchyliorum vegetiſſima.* Immo Plinius ipſe huiuſce diſtinctionis duas adfert cauſſas, nimirum infectionis diſcrimen, & diſcrimen coloris. Illi duo purpurae colores abundantioribus ſuccis, hi tres conchylii colores parcioribus tingebantur. Rurſus illi duo purpurae colores ob ipſam medicaminum copiam auſteriores, hi tres conchylii colores ob medicaminum ipſorum parcitatem dilutiores, & laetiores erant. Ita ipſe Plinius lib. IX. cap. XXXVIII. *Concharum ad purpuras & conchylia,* (en redit conſtans colorum purpurae, & colorum conchylii diſtinctio) *eadem quidem eſt materia, ſed diſtat temperamento.* Ita deinde Plinius eodem loco deſcribit illarum duarum purpurarum rubidae, & violaceae tincturam. *Buccinum... Pelagio admodum alligatur... ita ſit amethyſti color eximius ille. At Tyrius Pelagio primum ſatiatur... mox permutatur in Buccino.* Demum ita eodem loco enarrat horum trium conchyliorum tincturam, nimirum caerulei ſaturi, caerulei diluti, & flavi. *In conchyliata veſte cetera eadem ſine buccino... dimidia & medicamina adduntur. Sic gignitur laudatus ille pallor ſaturitate fraudata, tantoque dilutior, quanto magis vellera eſuriunt.* Erant igitur colores rubidi, & violacei auſteriores colores, majori ſuccorum copia compoſiti, & fere plenae, & abſolutae purpurae. Erant tres colores caerulei ſaturi, caerulei diluti, & flavi, minori ſuccorum copia producti, & fere ſemiplenae, aut imperfectae purpurae. Factum igitur, ut antiqui ad hoc non minimum diſcrimen demonſtrandum, illos duos primos proprie vocarent colores purpureos, iſtos vero tres poſtremos proprie colores conchyliatos nominarent, licet utrique, utpote iiſdem marinis conchis educti, colores purpurei generatim nominarentur, & eſſent. Sed de hoc ipſo colorum purpurae, & colorum conchylii diſcrimine plenius in cap. XXV. agetur.

An autem purpuris, ſive conchyliis reliquos quatuor purpureos ſimplices colores, nigros, lividos, rubicundos, candidos antiqui contribuerint, omnino latet, cum eos Plinius ne quidem commemoret. Veri autem ſimile eſt praeteriiſſe Plinium quatuor illos purpureos colores, quod fere eſſent rariores, & obſoleti; nigri quidem, & lividi, eo quod inamoeni; rubicundi, eo quod facile evaneſcentes; candidi, quod proprii Perſarum, & Indorum, & in Romano Imperio inuſi-

inuſitati, & fere nulli eſſent, ut cap. XX. videbimus. Cum tamen Plinius unos colores caeruleos ſaturos, caeruleos dilutos, & flavos conchylii colores nuncupet, eoſque unos dilutiores, & parcioribus ſuccis conditos affirmet, pro certo eſt habendum, quatuor reliquos memoratos colores iam purpureos, non conchyliatos ab antiquis vocitari, & haberi conſueviſſe. Cum igitur antiquos ſcriptores invenerimus reminiſcentes colores conchyliatos, nae intelligamus unos colores caeruleos, aut flavos, non vero ceteros purpureos colores, qui hae peculiari ſignificatione nullo modo continerentur. Ita locus Plauti intelligendus Pſeudoli. act. I. ſcen. II.

Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.

Ita etiam Cicero Philip. II. *Conchyliatis Gn. Pompeii periſtromatis ſervorum n cellis lectos ſtratos videres.* Seneca ep. LXII. *Demetrium virorum optimum meum circumfero, & relictis conchyliatis cum illo ſeminudo loquor, illum admiror.* uvenalis Sat. VIII.

ſtabat acervus
Nummorum, Spartana chlamys, Conchylia Coa.

Idem Juvenalis Sat. III.

Horum ego non fugiam conchylia?

Svetonius in Caeſaris vita. *Uſum conchyliatae veſtis ademit.* Ita denique ceteri omnes ſcriptores intelligendi, qui colorum conchylii meminerint, quoſque brevitatis gratia praeterimus.

CAPUT XIII.

De coloribus purpureis mixtis.

Quinque porro erant colores mixti purpurei, uti cap. I. diximus.

Primus autem color mixtus purpureus ex colore amethyſtino violaceo, & ex Tyrio rubido componebatur, & iccirco color Tyrianthinus, aut Tyriamethyſtinus vocabatur. Plinius ipſe lib. IX. cap. XL. XLI.: *Sed alia ſunt e ſine initia, iuvatque ludere impendio & luſus geminare miſcendo iterum & ipſa adulteria naturae... Non eſt ſatis abſtuliſſe gemmae nomen amethyſtum: rurſus abſolutus inebriatur Tyrio, ut ſit ex utroque nomen improbum, (Tyriamethyſtinus) ſimulque luxuria duplex.* Vopiſcus in Carini vita: *Inſcriptum eſt adhuc in choraulae pallio Tyrianthino.... Meſſalae nomen & uxoris.* Martialis lib. I. epig. LIV.

Sic interpoſitus vitio contaminat uncto
Urbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.

Obſervavimus ſuperiore capite colores caeruleos ſaturos, caeruleos dilutos, & flavos, proprie colores conchyliatos, aut conchylii vocitatos fuiſſe. Secundus igitur mixtus color ex Tyrio rubido, & caeruleo ſaturatiore componebatur, quemadmodum tertius ex Tyrio rubido, & caeruleo dilutiore, & quartus tandem ex ipſo Tyrio rubido, & flavo componebatur. Plinius eodem loco: *Et cum confecere conchylia, tranſire melius in Tyrium putant.* Si enim cum Tyrio rubido miſcebant antiqui colores conchylii, qui erant caeruleus ſatur, caeruleus dilutus, & flavus, hos tres colores mixtos deſcendere neceſſe fuit, nimirum rubidum caeruleo ſaturo mixtum, rubidum caeruleo diluto mixtum, rubidum denique flavo mixtum, uti diximus.

Quintus denique color purpureus mixtus ex ipſo Tyrio rubido, & ex colore coccineo, qui rubicundus eſt, uti cap. XVI. videbimus, componebatur. Plinius

Digitized by Google

nius eodem loco: *Quin & terrena miſcere, coccoque tinctum Tyrio tingere, ut fieret Hyſginum*. Color igitur Hyſginus, de quo plurimi ſcriptores meminere, quos conſulto praeterimus, color erat ex rubido, & rubicundo mixtus, & fere inter utrumque medius. Sed iterum de hiſce mixtis coloribus purpureis cap. XXV. loquemur.

Si igitur obſervatum eſt, colores purpureos fuiſſe novem ſimplices, & quinque mixtos, iam clariſſime patet, purpuram non fuiſſe peculiarem colorem aliquem, quae vulgaris omnium noſtrorum hominum eſt opinio, ſed potius tinctuгae genus, quo fere omnes iidem colores producerentur, qui herbis aut vegetabilibus produci conſueviſſent.

CAPUT XIV.

De Oſtro.

NON imus inficias Oſtrum fuiſſe plerumque nomen cuilibet purpureo colori ſignificando commune, nomenque ipſum ab *ὄστρεον*, quod concham marinam ſignificat, eſſe profectum, ut ait ipſe Vitruvius lib. VII. cap. XIII.: *Quod ex concharum marinarum teſtis eximitur, ideo oſtrum eſt vocitatum*. Non id tamen ſemper accidit: immo plerumque oſtrum uni colori purpureo rubido ſignificando proprie aſſignatum obſervavimus.

Conſiderandum enim eſt primo nomen oſtri unis purpuris Sidoniis, Tyriis, & Punicis tantum adtributum fuiſſe, quae procul dubio rubidae erant, uti cap. V. vidimus. Pauca haec teſtimonia veterum pluribus omiſſis ſuffecerint.

Propertius lib. III. eleg. XIII.:

Et Tyros oſtrinos praebet Cadmea colores.

Idem Propertius lib. IV. eleg. III.:

Nam mihi, quo Poenis tibi purpura fulgeat oſtris.

Ovidius Heroidum epiſt. XII.:

Rideat, & Tyrio iaceat ſublimis in oſtro.

Idem Ovidius Metamorphoſeon lib. X.:

Deſinit eſſe cruor, Tyrioque nitentior oſtro
Flos oritur.

Statius Sylvarum lib. V.:

Hic te Sidonio velatam molliter oſtro.

Silius Italicus Punicorum lib. VIII.

Et princeps Tyrio veſtem praetexuit oſtro.

Alcimus Avitus nuncupat quoque oſtrum Sidonium, & oſtrum ipſum Sidonium a purpura diſtinguit, quam forſan purpuram violaceam intelligit. Ita ille Poematum lib. VI.:

Nec te Sidonium bis cocti muricis oſtrum
Induit, aut rutilo permulcens purpura fuco.

Conſiderandum eſt ſecundo, Corippum in Panegyrico I. in laudem Juſtini II. enarrare, in quadam veſte ejuſdem Juſtini homines pugnantes auro, ſanguinem vulnerum oſtro pictum:

Effigies auro, ſanguis depingitur oſtro.

Cum autem ſanguis concretus ſit rubidus, rubidum quoque eſſe debebat oſtrum,

ſtrum, quod oſtrum ipſum ſanguinem ſignificare, & exprimere deberet.
Tertio loco hic Virgilii verſus ex lib. II. Aeneidos eſt obſervandus:

Ipſe peregrina ferrugine dives, & oſtro.

Minus propriam enim & Virgilio indignam Virgilius ipſe partitionem hic nobis obtruſiſſet, ſi nomen proprium peculiaris purpurae, quae Ferrugo vocabatur, ut cap. III. vidimus, cum nomine Oſtro coniunxiſſet, quod appellativum, ut aiunt Grammatici, & commune coloribus omnibus purpureis deſignandis fuiſſet. Sed neutiquam putandum divinum Virgilium ita pueriliter erraſſe, potiuſque dicamus Virgilium eundem, quemadmodum ferruginis nomine peculiarem purpuram lividam intellexerit, ita nomine oſtri peculiarem aliquam purpuram intellexiſſe, & praeſertim rubidam Tyriam. Et re quidem vera eodem laudato loco Corippus ipſe Ferruginem, & Oſtrum coniungit, ſed ſui ipſius, & eiuſdem Virgilii ſententiam oſtendens, alteram purpuram lividis olivis, alteram vero purpuram rubidis uvis aequiparat, & proinde clare Ferruginem purpuram lividam, Oſtrum purpuram Tyriam rubidam eſſe declarat:

Autumni Venetus ferrugine dives, & oſtro
Maturas uvas, maturas ſignat olivas.

Nonius denique in notis ad Turpilium Poetam in Veliterna Comoedia oſtrinum colorem ſubrubeum, ſive rubidum clariſſime nuncupat. *Oſtrinum ab Oſtro colore, qui eſt ſubrubeus.*

C A P U T X V.

De coloribus herbaceis.

QUemadmodum vero antiqui homines plurimos colores conchis marinis producebant, ita quoque plurimos cudebant colores herbis, & vegetabilibus. Primum itaque eoſdem fere omnes colores, quos e conchis marinis eduxiſſe hactenus vidimus, herbis, & vegetabilibus fingebant. Plinius lib. XXII. cap. II. *Jam vero infici veſtes ſcimus admirabili fuco... tranſalpina Gallia herbis Tyrium, atque conchylium tingit, omneſque alios colores, nec quaerit in profundis murices.... ut inveniat, per quod facilius matrona adultero placeat, corruptor inſidietur nuptae. Stans & ſicco carpit, quod frugi mundos exculpat.* Idem Plinius lib. XXI. cap. XXVI. *Hyacinthus in Gallia eximie provenit. Hoc ibi pro cocco hyſginum tingitur.* Plurimas vero rationes herbis ſimulandi purpureos omnes colores, ſive ſimplices, ſive mixtos, quos diximus, diligentiſſime tradunt Plinius ipſe in ſua naturali Hiſtoria, Vitruvius in Architectura, Julius Pollux in ſuo Onomaſtico, aliique antiqui Scriptores, qui conſulendi.

Ut vero hi colores memoratis purpureis ſimiles, qui herbis conficerentur, diſcrimine aliquo notarentur ab iiſdem coloribus, qui vere conchis marinis compoſiti fuiſſent, hi purpurae maritimae, illi purpurae tantum colores dici conſuevere. Julius Pollux Onomaſtici lib. VII. cap. XIII. Ο δε *κανδυς ο μεν βασιλειος αλιπορφυρος, ο δε των αλλων πορφυρους. Veſtis autem regia ex purpura maritima erat, aliorum vero e purpura tantum.* Multa loca, quae expreſſe mentionem faciunt πορφυρας θαλαττιας, *purpurae marinae*, habes apud Bochartium *Hierozoicon* Par. II. lib. V. cap. XIV.

Verum poſt hos omnes colores purpureos herbis, ut ita dicam, recuſos,

pluri-

plurimos alios etiam colores herbis effingere ſolebant antiqui homines. Nobis autem, utpote de coloribus tantum purpureis tractaturis, uti diximus, ſuffecerit horum colorum floridiſſimus catalogus, quem nobis praebet Ovidius de Arte amandi lib. III.

Quid de veſte loquar? Nec vos, ſegmenta, requiro,
Nec quae bis Tyrio murice, lana, rubes.
Cum tot prodierint pretio leviore colores,
Quis furor eſt cenſus corpore ferre ſuo?
Aeris ecce color, tunc cum ſine nubibus aer,
Nec tepidus pluvias concitat auſter aquas.
Ecce tibi ſimilis, qui quondam Phryxon, & Hellen
Diceris Inois eripuiſſe dolis.
Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis.
Crediderim Nymphas hac ego veſte tegi.
Ille crocum ſimulat, croceo velatur amictu,
Roſcida luciferos cum Dea iungit equos.
Hic Paphias myrtus, hic purpureas amethyſtos,
Albenteſve roſas, Threiciamque gruem.
Nec glandes, Amarylli, tuae, nec amygdala deſunt,
Et ſua velleribus nomina cera dedit.
Quot nova terra parit flores, cum vere tepenti
Vitis agit gemmas, pigraque cedit hiems,
Lana tot, aut plures ſuccos bibit.....

De numero autem colorum plurimorum, qui (praeter colores purpureis ſimiles,) herbis conficerentur, deque eorundem conficiendorum ratione, iidem ſcriptores, quos ſupra retulimus, conſulendi.

CAPUT XVI.

De Colore coccineo.

Celeberrimus vero colorum, qui herbis conficerentur, procul dubio erat coccineus. Color is e cocco, unde nomen accipiebat, producebatur. Coccus iuxta antiquorum ſententiam nihil aliud erat, quam granum quoddam, quod magna copia naſcebatur in Africa, in Galatia, in Luſitania. Plinius lib. IX. cap. XLI. *Coccum Galatiae rubens granum, ut dicemus in terreſtribus, aut circa Emeritam Luſitaniae in maxima laude eſt.* Et in lib. XXII. cap. II. *Jam vero infici veſtes ſcimus admirabili fuco. Atque ut ſileamus Galatiae, Africae, Luſitaniae granis Coccum Imperatoriis dicatum paludamentis.....tingi.* Theophraſtus in Hiſt. Plant. lib. III. cap. XVI., Dioſcorides lib. III. cap. XVI. Pauſanias lib. IV. cap. XVIII. lib. X., & Strabo lib. X. plurimum de Cocco loquuntur, ad quos miſſos facimus lectores. Juxta vero recentiores obſervationes Coccus granum non eſt, ſed Galla ex ilice quadam prognaſcens, aut potius quidam vermiculus, qui, ubi interierit, diſtenditur, grandeſcit, fitque Galla ovis refertiſſima, e quibus ovis plurimi rubicundi vermiculi progignuntur, qui ab Arabibus *Chermes* vocantur, & e quorum rubicundo ſanguine color iſte coccineus formari ſolet. Percrebreſcit, & viget adhuc huiuſce coccinei coloris artificium, iſque ipſe eſt color, quem nos

Itali

Itali, *colore di ſcarlatto*, *di grana*, *chermiſi*, *o vermiglio*, a genitoribus vermibus nomine profecto appellamus, uti eſt notiſſimum. Immo color ipſe, qui nupera noſtra *Coccinilia* effingitur, ut nomen ipſum declarat, vel ratione vermium, vel ratione *coloris*, cocci quoque ſimilis eſt. Nemo vero neſcit, hunc colorem, quem adhuc oculis videmus, vividiſſime rubicundum eſſe. Id dixere tamen etiam antiqui ſcriptores. Plinius lib. XXI. cap. VIII. eum roſarum colori comparat, qui quoque vividiſſime eſt rubicundus. *Unum (colorem) in cocco, qui in roſis micat: gratius nihil traditur aſpectu*. Theophraſtus, & Heſychius eumdem cocci colorem phoeniceum vocant, hoc eſt rubicundum: phoeniceus enim color eſt rubicundus, uti capite ſequenti eſt demonſtrandum. Ita ille lib. III. cap. XVI. *κοκκον φοινικουν*: *Coceum Phoeniceum*. Ita hic. *κοκκος φοινικουν χρωμα*. *Coccus color phoeniceus*. Ita etiam Horatius Sat. VI.

rubro ubi cocco
Tincta ſuper lectos canderet veſtis eburnos.

Venantius Fortunatus Poem. VII. lib. VII.

Aureus ordo crocis, violis hinc blatteus exit,
Coccinus hinc rubicat, lacteus inde nivet.

Sedulius Carminum lib. IV.

rubri vilem ſub tegmine cocci
Veſtitur chlamydem.

C A P U T X V I I.

De Colore puniceo, aut phoeniceo.

Certe color puniceus, aut phoeniceus non erat purpureus, cum antiqui ſcriptores iiſdem locis purpureum, & puniceum, uti duos diverſos colores diſtinguant. Plautus Menaechmis act. V. ſcen. V.

Quin tu me interrogas, purpureum panem,
An puniceum ſoleam ego eſſe, an luteum.

Lucretius lib. II.

Purpura, poeniceuſque color clariſſimu' multo.

Paullinus Petrocorius in B. Martini vita lib. III.

Dives in excelſis ſplendeſcit purpura fulcris,
Mollia puniceo motantur ſerica fuco.

Creſconius Corippus lib. I. Panegyrici in laudem Juſtini II.

Purpureo ſurae reſonant fulgente cothurno,
Cruraque puniceis induxit regia vinclis.

Athenaeus Deipnoſophiſtarum lib. V. πρωτοι μεν οι τον οχλον ανειργοντες Σειληνοι, πορφυρεας χλαμυδας, οι δε φοινικιδας ημφιεσμενοι. *Primi Sileni ſubmoventes turbam purpureas chlamydes, alii vero puniceas induebantur.*

Varro autem, & Propertius non modo puniceum a purpureo diſtinguunt, ſed etiam colorem, & coloris nomen ab Africa, & a Poenis profectum autumant. Ita Varro lib. IV. de Lingua Latina. *Purpureum a purpurae maritimae colore. Poeniceum quod primum a Poenis dicitur adlatum.* Propertius lib. IV. eleg. III.

Illi ſelectos certent praebere colores
Africa puniceum, purpureumque Tyros.

Abundat autem Africa cocco, ut affirmavit Plinius ſuperiori Capite relatus, & proinde puniceum, aut phoeniceum colorem fuiſſe oportuit rubicundum, immo ipſum coccineum. Aulus Gellius lib. II. cap. XXVI. Noct. Attic. *Nam poeniceus, quem tu Graece φοινικα dixiſti, noſter eſt: & rutilus, & ſpadix phoenicei συνωνυμα, qui factus Graece noſter eſt, & exuberantiam, ſplendoremque ſignificat ruboris, quales ſunt fructus palmae arboris non admodum ſole incocti, unde ſpadicis, & phoenicei nomen eſt. Spadica enim Dorici vocant avulſum e palma termitem cum fructu.* Plutarchus in Pompeii, & Bruti vita vocavit: *puniceam tunicam*, φοινικουν χιτωνα, tunicam illam rubicundam, quam Romani Imperatores ante tabernaculum, uti pugnae ſignum, proponerent, quae ipſa tunica ab eodem Plutarcho in Fabii vita χιτων κοκκινος, *tunica coccinea* vocata fuit. Iſidorus. *Ruſſata, quam Graeci phoeniceam vocant, nos coccinam*. Horatius Epodon ode IX.

Terra, marique victus hoſtis punico
Lugubre mutavit ſagum.

Et ad eumdem locum Porphyrion. *Hoc eſt, depoſuit coccineam chlamydem Antonius, qua ſcilicet Imperator utebatur, & accepit lugubrem, ideſt nigram.*

C A P U T   X V I I I.

De Colore Blatteo, vel Blattae.

Contra autem blatteus, vel blattae color coccineus non erat, cum & coccineum, & blatteum colorem eodem loco antiqui ſcriptores, uti duos diſtinctos colores, nominent. Lampridius in Elagabali vita. *Paraverat igitur funes blatta, ſerico, & cocco intortos, quibus, ſi neceſſe eſſet, laqueo vitam finiret.* Venantius Fortunatus Poem. VII. lib. VII. non tantum coccineum, & blatteum colorem, uti diverſos, eodem loco nuncupat, ſed etiam coccineum rubicundum, & blatteum violaceum, ideſt purpureum declarat.

Aureus ordo crocis, violis hinc blatteus exit,
Coccinus hinc rubicat, lacteus inde nivet.

Immo idem Fortunatus lib. IX. Poem. X., uti purpureum conceptis verbis colorem blatteum nuncupat.

Albent purpureis ubi lactea lilia blattis.

Eutropius quoque blatteos, & Oroſius purpureos funes retium appellat, quibus Nero piſcabatur. Ita Eutropius: *Nero hamis aureis, argenteiſque piſcabatur, qui blatteis funibus extrahebantur.* Ita Oroſius. *Nero retibus aureis piſcabatur, quae purpureis funibus extrahebantur.* Sidonius Apollinaris Carm. V. purpuris celeberrimam Tyrum laudat, uti blattae genitricem.

Pontus Caſtorea, blattam Tyrus, aera Corinthus.

Idem Sidonius lib. IX. epiſt. ultim. blattiferum vocat Senatum, quem purpura, non cocco ornatum cap. XXXIX. obſervabimus.

Blattifer vel quam tribuit Senatus.

Ipſe Sidonius lib. IX. epiſt. XIII. Blattas vocat bis tinctas, nimirum clare purpuras, quae bis, uti cap. XXV. confirmabimus, tingebantur.

Rutilaſque ferte Blattas,
Recoquente quas aheno
Meliboea fucat unda,

Opu-

Opulentet ut meraco
Bibulum colore vellus.

Blattas bis tinctas, ſive purpuras nominat etiam Alcimus Avitus Poemat. lib. III.

Ipſe cothurnatus gemmis, & fulgidus auro,
Serica bis coctis mutabat tegmina blattis.

Denique clariſſime Blattam eſſe purpuram, non coccineum colorem, declarat L. I. lib. XL. in Codice Juſtinianaeo. *Fucandae, atque diſtrahendae purpurae vel in ſerico, vel in lana, quae blatta, vel oxyblatta, vel hyacinthina dicitur.*

Sed quaenam origo huiuſce vocis Blattae, qua poſteriores Latini, Graecique purpuram nuncupabant? Graeca antiqua Gloſſaria auctorem adferunt quemdam *Actuarium*, qui adfirmat, Blattam ſibi velle os naſi, ſive roſtri, quo concavo ad exerendam linguam donari conchas purpuras cap. XXII. enarrabimus. Ita *Actuarius* ipſe a Gloſſis relatus. Βλαττιον βυζαντιον οστουν της ῥινος της πορφυρας. *Blatta Byzantia os naſi purpurae.* Mattiolius, Lemerius, aliique Pharmaceutici quoddam celebre Blattion Byzantion deſcribunt, ex quo nonnullae elapſis ſaeculis, uti ex cornu cervino, medicinae parabantur. Verum hoc Pharmacopolarum Blattion Byzantion nihil aliud eſt profecto, quam ipſum concharum, quas purpuras vocant, roſtrum, uti cuilibet obſervare licet in Pharmacopolarum tabernis, & in tabulis ipſis inciſis apud Mattiolium, alioſque huiuſmodi Pharmaceuticos, & confirmat etiam Rondeletius lib. II. cap. XV. de Teſtaceis. Veri igitur ſimile eſt, antiquos roſtrum conchae purpurae primum, & poſtea concham purpuram totam nomine Blattae donaſſe, & deinde nomen ipſum Blattae, & purpurae a conchis blattis, & purpuris ad purpureos ipſos colores, qui ex illis effingerentur, ſignificandos tranſduxiſſe. Immo etiam coniectura probabili aſſequi poſſumus, cur Blattam roſtrum conchae purpurae Graeci nuncupaverint. Audiemus Cap. XXII. conchas purpuras ceterarum concharum cortices, ut eas devorarent, ſolidiſſimo hoc ſuo roſtro tundere, & effringere conſueviſſe. Vocavere igitur Graeci hoc roſtrum Blattion a verbo βλαπτω, quod ſibi vult laedere, & percutere, quaſi roſtrum reliquas conchas percutiens, & laedens ſignificarent. Ab eadem voce βλαπτω felicius forſitan noſtrum ipſum Italicum verbum *battere*, quam a quovis alio longius petito, & intorto etymo promanare videtur.

CAPUT XIX.

De diſcrimine Coloris coccinei, & purpureorum.

MAle coccineus color cum purpureis confundi conſuevit. Omnes enim purpurei colores a coccineo, & nomine, & materia, & colore ipſo longiſſime diſtabant. Et primum color coccineus, & purpureus, uti duo omnino diſtincti colores, nomine ipſo ab antiquis ſcriptoribus diſtinguuntur. Plinius lib. XXXVII. cap. VII. *Unam, quae purpura radiet, alteram quae cocco.* Et. lib. XIII. cap. XLVIII. *Vidimus iam & viventium vellera purpura, cocco, conchylio infecta.* Svetonius in Neronis vita. *Piſcatus eſt reti aurato, purpura, coccoque funibus textis.* Lampridius in Diadumeni vita. *Hic ubi primum indumenta coccea, & purpurea, ceteraque caſtrenſia Imperii inſignia accepit.* Martialis lib. V. epig. XXIII.

Non niſi vel cocco madida, vel murice tincta
Veſte nites, & te ſic dare verba putas.

Et

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Et in lib. III. epig. II.

Et te purpura delicata velet,
Et cocco rubeat ſuperbus index.

Secundo materia ipſa coccineus color, & purpurei longiſſime diſtabant. Nos cap. XXV. docebimus, colores purpureos conchis marinis confectos fuiſſe. Vidimus vero cap. XVI. coccineum colorem ex galla terreſtri, quae coccus appellabatur, eſſe profectum.

Tertio, colore ipſo differebant. Rubicundus erat color coccineus, uti cap. XVI. vidimus. Colores autem purpurei in omnes alias colorum partes ibant, quam in rubicundi partes. Aderat quidem, quam ſupra diximus, purpura rubicunda, ſed haec infrequens valde, utpote quae vigens tantum in Perſide, vel India, perraro in orbis Romani regiones tranſduceretur, & quae rubicunda purpura in orbis Romani regionibus aliquando conficeretur ope maioris ſucci buccinorum, quam purpurarum, (unde etiam Buccini purpura vocabatur) ita evanida erat, & obnoxia corruptioni, ut hoc nomine damnata ab omnibus vix ac ne vix quidem cognoſceretur. Ut autem clarius intelligatur, quantum coccineus color a purpureis omnibus (excepta Buccini rubicunda & inuſitata purpura) differret, liceat hic promere notiſſimam illam ſeptem naturae colorum ſeriem, qui primi vocantur, & à quorum mixtura ceteri omnes proficiſci putantur. En ſeriem ipſam.

Candidus	Purpura candida inuſitata.
Rubicundus.	Color coccineus. Inuſitata purpura rubicunda.
Croceus.	
Flavus.	Purpura conchyliata flava.
Viridis.	
Caeruleus.	Purpurae duae conchyliatae, caerulea ſaturatior, & caerulea dilutior.
Rubidus.	Purpura rubida.
Violaceus.	Purpura violacea.
Niger.	Purpura livida.
	Purpura nigra.

Natura ipſa relatae ſeriei veritatem ope Priſmatis, & Iridis certiſſime demonſtrat, uti Philoſophi non ignorant. Series ipſa ita eſt diſpoſita, ut a coloribus vividioribus profecta, & praeſertim a rubicundo colore, qui omnium eſt vividiſſimus, gradatim ad obſcuriores colores deſcendat, praeſertim ad violaceum, qui omnium eſt obſcuriſſimus. Supra rubicundum color nullus eſt alter vividior, ſi candidum excipias, qui candidus omnium fere colorum coniunctio eſt, quemadmodum etiam infra violaceum nullus eſt alter obſcurior color, ſi nigrum excipias, qui fere omnium colorum eſt privatio. Haec igitur veriſſima primorum naturae colorum eſt ſeries, quam diximus. Jam vero coccineus color, iam vero purpurei colores, iidem ipſi ſunt naturae, & priſmatis colores, aut ſucco cocci, aut ſucco concharum marinarum artificioſe confecti. Hinc coccineus color rubicundo priſmatis colori, flava purpura flavo, purpura caerulea caeruleo, purpura rubida rubido, purpura violacea violaceo, purpura livida, & nigra nigro priſmatis, & naturae colori adamuſſim congruent. Idem de conſenſu, & aequalitate colorum purpureorum, quos mixtos nominavimus, & de conſenſu, & aequalitate mixtorum parium colorum priſmatis dicendum, uti cuique facile eſt intellectu.

lectu. Cum itaque veriſſimus ſit conſenſus, quem diximus, colorum naturae, & colorum factitiorum purpurae, & cocci, hinc ſequetur artificioſos hoſce colores eundem habuiſſe vivacitatis gradum, quem naturae, & priſmatis colores oſtendunt. Fiet ſecundo, colorem coccineum ceteris omnibus coloribus vividiorem fuiſſe, purpuram conchyliatam flavam vividiorem duabus purpuris conchyliatis caeruleis, & haſce ambas purpura rubida vividiores, & hanc vividiorem violacea, & violaceam denique livida, & nigra vividiorem fuiſſe, eademque ſimili ratione vivacitatis purpureos colores mixtos fuiſſe omnino diſpoſitos. Fiet tertio, ſuperiores tres purpuras conchyliatas caeruleam ſaturam, caeruleam dilutam, & flavam, vividiores quoque fuiſſe, quam quatuor ſubiectas purpuras rubidam, violaceam, lividam, nigram. Fiet quarto, ipſam purpuram Tyriam rubidam, quae magis, quam ceteri purpurei ſimplices colores, cum rubicundo, aut coccineo colore confundi conſuevit, ipſi nigro colori, aut ipſi nigrae purpurae, quam rubicundo colori, aut coccineo, magis affinem, & proximam fuiſſe. Fiet quinto, ipſum Hyſginum colorem, qui prae ceteris purpurae coloribus mixtis, cum rubicundo, aut coccineo quoque confundi poſſet, quique medius quidam color inter rubicundum, & rubidum fuerat, tantum colori rubido vivacitate ſuperiorem fuiſſe, quantum vivacitate ipſa colori rubicundo inferiorem.

Nec vero haec colorum purpureorum ſeries, & gradatio antiquos latuit. Quemadmodum enim color priſmatis rubicundus ceterorum omnium priſmatis ipſius colorum floridiſſimus erat, ita nos audivimus Plinium dicentem in lib. XXI. cap. VIII., colorem coccineum aequo modo fuiſſe ceterorum omnium colorum factitiorum vividiſſimum. *Unum (colorem) in cocco, qui in roſis micat. Gratius nihil traditur aſpectu*. Quemadmodum quoque color priſmatis flavus ceteris priſmatis ipſius inferioribus coloribus eſt floridior, ita vidimus a Plinio eodem loco appellatam purpuram conchyliatam flavam, *conchyliorum vegetiſſimam*, ideſt omnium purpurae, & conchylii colorum floridiſſimam. Uti quoque color priſmatis ipſius caeruleus inferiori rubido floridior eſt, ita audivimus Ovidium Metamorphoſeon lib. X. dicentem de flore hyacintho, *Tyrioque nitentior oſtro flos oritur*, nimirum florem hyacinthum, hyacinthinamque purpuram conchyliatam caeruleam, omnino ſplendidiorem fuiſſe purpura Tyria, quæ rubida erat, uti vidimus. Denique quemadmodum colores ipſi priſmatis caeruleus, & flavus ſubiectis coloribus rubido, & violaceo lucidiores erant, ita apud Plinium lib. XXI. cap. VIII. obſervavimus floridiores purpuras conchyliatas, caeruleas, & flavas, auſteriores vero purpuras rubidas, & violaceas antiquos exiſtimaſſe. *In conchyliata veſte.... gignitur laudatus ille pallor ſaturitate fraudata, tantoque dilutior, quanto magis vellera eſuriunt.... Buccinum Pelagio admodum alligatur, nimiaeque eius nigritiae dat auſteritatem.... Ita fit amethyſti color eximius ille.... At Tyrius Pelagio primum ſatiatur.... Laus ei ſumma color ſanguinis concreti nigricans aſpectu*. Si igitur numeris omnibus abſolutus eſt conſenſus colorum priſmatis naturalium, & colorum purpurae factitiorum, liquido etiam conſtabit, illud diſcrimen inter coccineum, & purpureos colores interfuiſſe, quod in natura inter rubicundum intercedit, qui ſplendidiſſimus eſt, & inter flavum, ceteroſque priſmatis inferiores colores, qui gradatim obſcuriores videntur, uſque dum pervenerimus ad nigrum ipſum, qui eſt omnium obſcuriſſimus. Igitur colores omnes purpurei a coccineo, & appellatione, & materia, & colore ipſo, ideſt numeris omnibus differebant. Et hinc maximum hoc diſcrimen agnoſcens J. C. Ulpianus bene definivit in L. *ſi cui*

lana.

lana. Dig. de Legatis III., appellatione purpurae omne genus purpurae, ſive omnes, quotquot deſcripſimus, purpureos colores intelligi poſſe, nunquam vero coccineum colorem, qui ab illis, & nomine, & materia, & colore ipſo longiſſime differret. *Purpurae appellatione omnis generis purpuram contineri puto, ſed coccum non continebitur.*

Nec obſtant teſtimonia Ariſtotelis, Vitruvii, Plinii, ceterorumque antiquorum, quae retulimus, quaeque videntur vocaſſe purpuras aliquot rubicundas, quas nullas rubicundas, ſed obſcuriores omnes nos diximus. Primo enim obſervandum, laudatos ſcriptores forſitan de purpuris tantum rubicundis, ſive acutis eſſe locutos, quae fere inuſitatae eſſent, eo quod facile evaneſcentes, uti docuimus. Deinde animadvertendum, appellationem rubicundi, aut rubri, aut rufi coloris illis omnibus coloribus ſolere generatim tribui, in quibus rubicundus color aliquo modo miſceatur. Audiamus A. Gellium Noct. Attic. lib. II. cap. XXVI. *Simplices iſti rufus, & viridis colores ſingula quidem vocabula, multas autem ſpecies differentes babent.... Quippe qui rufus color a rubore quidem appellatus eſt. Sed cum aliter rubeat ignis, aliter ſanguis, aliter oſtrum, aliter crocus, has ſingulas rufi varietates Latina oratio ſingulis, propriiſque vocabulis non demonſtrat, omniaque ſignificat una ruboris appellatione..... Fulvus enim, & flavus, & rubidus, & phoeniceus, & rutilus, & luteus, & ſpadix, appellationes ſunt rufi coloris, aut acuentes eum quaſi incendentes, aut cum colore viridi miſcentes, aut nigro infuſcantes, aut virenti ſenſim albo illuminantes.* Verum enimvero colores omnes purpurei, quos retulimus, hujuſmodi ſunt, ut in ipſis rubicundus color aliquo certe modo miſceatur. Ita color violaceus videtur ex nigro, caeruleo, & rubicundo mixtus, rubidus ex nigro, & rubicundo, caeruleus ſatur ex caeruleo, & violaceo, caeruleus dilutior ex caeruleo, & rubicundo, & flavus denique ex albo, & rubro mixtus, idemque de coloribus purpureis dicendum, quos mixtos appellavimus, quod nimirum ex vicinioribus coloribus componantur, & conſtent. Igitur cum audiuntur antiqui ſcriptores aliquando vocare purpuras rubicundas, aut rubras, ne ſtatim huiuſmodi nomen rubri, aut rubicundi ad peculiarem vividiſſimi rubicundi coloris ſignificationem traducatur, ſed ad generalem ſignificationem eam, quae colores eos omnes continet, in quibus aliquo modo rubicundus effulget, quemque rubicundum colorem in purpureis coloribus fere omnibus aliquo ſemper modo effulgere diximus. Ita Cornelium Nepotem apud Plinium in lib. IX. cap. XXXI. audivimus rubram vocantem purpuram Tarentinam: *rubra purpura Tarentina*, quam vocatam violaceam audivimus ab Horatio lib. II. epiſt. 1.

Lana Tarentino violas imitata veneno.

Ita quoque crocum rubrum dixit Virgilius Georgicon lib. IV. *crocumque rubentem*, & Ovidius Faſtorum lib. I.

Nec fuerant rubri cognita fila croci:

Quem nos omnes oculis croceum, aut flavum videmus. Denique Virgilius ipſe eclog. III. rubrum dixit hyacinthum *ſuave rubens hyacinthus*, quem ferrugineum, aut lividum vocavit Columella lib. X. verſ. CCCV.

Sirpiculum ferrugineis cumulate hyacinthis.

Quos ipſos flores caeruleos vocavit idem Columella eodem lib. X. verſ. C.

Nec non & niveos & caeruleos hyacinthos.

& nigros vocavit ipſe Virgilius, eclog. X.

Et nigrae violae ſunt, & vaccinia nigra.

Immo

Immo ipſe Virgilius Georgicorum lib. IV. violas eodem tempore purpureas, & nigras appellare non dubitavit hiſce verbis, *violae ſublucet purpura nigrae*. Uſuvenit profecto apud antiquos ſcriptores, quod in communibus ſermonibus noſtris uſuvenire conſuevit, quibus modo rubra, modo nigra quaedam corpora appellamus, quae non minus rubrum, quam nigrum colorem aperiunt. Ita nos dicere non dubitamus aliquando nigrum ſanguinem, nigras uvas, mora nigra, & aliquando ſanguinem rubrum, rubras uvas, mora rubra, eo quod non minus niger, quam ruber color in hiſce corporibus interlucere videatur.

CAPUT XX.

De prima Cauſſa tot colorum purpureorum.

CAeli, & climatum diſcrimen prima erat cauſſa huiuſce varietatis, qua purpurei colores gaudebant. Marinae enim profecto conchae alios aliis regionibus, & climatibus ſuccos edebant.

Conchae Ponticae, Gallicae, & regionum ſimilium, quae ad ſeptemtrionem vergerent, duos tantum purpureos colores nigrum, & lividum reddebant. Jam enim audivimus Ariſtotelem cap. II. dicentem: Ετι δε εν μεν τοις βορειοις μελαιναι. *Purpurae in locis ad ſeptemtrionem verſis ſunt nigrae*. Nec non etiam Vitruvium: *Itaque quod (conchylium) legitur Ponto, & Gallia, quod hae regiones ſunt proximae ad ſeptentrionem, eſt atrum: progredientibus inter ſeptemtrionem & occidentem invenitur lividum*.

Conchae Italicae, & ſimilium climatum violaceum colorem purpureum referebant. Idem Vitruvius cap. IV. relatus: *Quod autem legitur ad aequinoctialem orientem, & occidentem*, (Vitruvius Italus erat, & de plagis orientalibus, & occidentalibus ſuae Italiae loquebatur) *invenitur violaceo colore*. Huiuſmodi colore profecto nitebat Italica purpura Tarentina teſte ipſo Horatio lib. II. epiſt. 1,

Lana Tarentina violas imitata veneno.

Hinc eodem violaceo colore etiam omnes alias Italicas purpuras ſplendere oportuit, quarum celebriores memorantur Syracuſana, Hydruntina, Ciſſenſis, Anconitana, & noſtra Ariminenſis. De purpura enim Syracuſana in Sicilia, & Ciſſenſi in Venetia, & Iſtria, (quae Ciſſa relata etiam a Plinio lib. III. cap. XXVI. eſt recens oppidum *Humago* in Iſtria ipſa,) mentionem facit ſic vocata Notitia Imperii, prout cap. LVI. obſervabimus, quemadmodum de Hydruntina loquitur Caſſiodorus, uti cap. LVIII. declarabimus. Purpuram vero Anconitanam memorat Silius Italicus Punicorum lib. VIII. eam Sidoniis, & Africis laudatiſſimis vix poſtponens:

Stat fucare colus nec Sidone vilior Ancon
Murice, nec Lybico.

Ariminenſem vero purpuram memorat etiam Feſtus in verbo *Trachali*: *Trachali appellantur muricum, ac purpurae ſuperiores partes, unde Ariminenſes maritimi homines cognomen traxerunt Trachali*. Immo Feſto etiam quoad hoc Trachalorum agnomen, quo antiqui Ariminenſes audiebant, fere concors eſt etiam Valerius Maximus lib. VII. cap. VII.: *Septitia quoque mater Trachalorum Ariminenſium filiis irata, in contumeliam eorum, cum iam parere non poſſet, Publio ſeni admodum nupſit, teſtamento etiam utroque praeterito: a quibus aditus Divus Auguſtus*, &

& nuptias mulieris, & ſuprema iudicia improbavit. Nam haereditatem maternam filios habere iuſſit: dotem, quia non creandorum liberorum cauſſa coniugium interceſſerat, virum retinere vetuit. Si ipſa aequitas hac de re cognoſcere potuiſſet, iuſtiuſne, aut gratius pronunciaret? Praetereundum tandem hic non eſt, hoc Trachalorum, aut Tracholarum agnomen a Graeca voce Τραχηλος, qua colla animalium Graeci indigitant, proficiſci, & proinde forſan in Feſto *Tracheli*; & in Valerio *Trachelarum* voces eſſe reponendas.

Conchae Laconicae, Tyriae, Aſiaticae, Gaetulicae, Africanae, omniumque regionum, quae ad meridiem vergunt, rubidum colorem purpureum prodebant. Plinius alibi relatus lib. IX. cap. XXXVI.: *Liquoris hic minimi eſt in candida vena, unde pretioſus ille bibitur nigrantis roſae color ſublucens... Color ſanguinis concreti, nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens ..... rorem eum excipientes Tyrii. Praecipuus hic Aſiae, in Meninge Africae, & Gaetulo littore Oceani, in Laconica Europae.*

Conchae Alexandrinae, Tyriae, Coae, earundemque omnium regionum ad meridiem vergentium etiam tres conchyliatos colores caeruleum ſaturum, caeruleum dilutiorem, & flavum edebant. Plinius lib. V. cap. XXIX.: *Nunc omnis eius (Tyri) nobilitas conchylio, atque purpura conſtat.* Plautus Pſeudoli Act. I. Scen. II.:

Neque Alexandrina belluata conchyliata tapetia.

Juvenalis Sat. VII.:

Spartana chlamys, conchylia Coa.

Conchae Rhodiae, & earundem regionum ad meridiem vergentium aliquem colorem purpureum rubicundum cudebant. Ariſtoteles cap. IX. relatus: Εν δε τοις νοτιοις ερυθραι. *Purpurae in regionibus ad meridiem ſpectantibus ſunt rubrae.* Vitruvius quoque eodem capite relatus: *Quod vero (conchylium) meridianis excipitur regionibus, rubra procreatur poteſtate, & ideo hoc rubrum Rhodo etiam inſula creatur, ceteriſque huiuſmodi regionibus, quae proximae ſunt ſolis curſui.*

Conchae demum Perſicae, & Indicae, ceterarumque huiuſmodi regionum fere ſub torrida zona degentium non tantum eundem rubicundum, ſed & candidum colorem purpureum effundebant. Jam enim audivimus Plutarchum in cap. X. referentem Alexandrum magnum immenſam vim purpurae rubrae, & candidae in Perſide reperiſſe. Ad has quoque regiones pertinuere mirabiles purpurei colores, quos Rex Perſarum Aureliano muneri miſit, quorum Orbis Romanus nunquam antea ſimiles viderat, quibuſque comparatae Aureliani, & matronarum purpurae, cineris inſtar decolorari videbantur. Vopiſcus in Aureliani Vita: *Tum genus purpurae, quod poſtea nec ulla gens detulit, nec Romanus orbis vidit, de quo ſaltem pauca libet dicere. Meminiſtis enim fuiſſe in templo Jovis O. M. Capitolini pallium breve purpureum laneſtre, ad quod cum matronae, atque ipſe Aurelianus iungerent purpuras ſuas, cineris ſpecie decolorari viderentur ceterae divini comparatione fulgoris. Hoc munus Rex Perſarum ab Indis interioribus ſumptum Aureliano muneri dediſſe perhibetur, ſcribens: Sume purpuram, qualis apud nos eſt. Sed hoc falſum fuit. Nam poſtea diligentiſſime & Aurelianus, & Probus, & proxime Diocletianus miſſis diligentiſſimis confectoribus requiſiverunt tale genus purpurae, nec tamen invenire potuerunt.*

CA-

Digitized by Google

CAPUT XXI.

De ſecunda Cauſſa tot colorum purpureorum.

ARtificii diſcrimen erat ſecunda, & proxima cauſſa varietatis tot colorum purpureorum. Et re quidem vera, ut hi diverſi purpurei colores excuderentur, plurimi referebat diverſa praeparatio, & diverſa tinctura, quamvis eadem conchylia adhiberentur. Seneca Natur. Quaeſt. lib. I. cap. III.: *Sic enim & purpura eodem conchylio non in unum modum exit. Intereſt, quamdiu macerata ſit, craſſius medicamentum, an aquatius traxerit, ſaepius merſa ſit, & excocta, an ſemel tincta.* Verum cum Plinius lib. IX. cap, XXXVI. poſt relatas nonnullas conchyliorum proprietates ſe tractaturum ſpondeat de diverſis condendarum purpurarum artificiis: *Quod ſi hactenus tranſcurrat expoſitio, fraudatam profecto ſe luxuria credat, noſque indiligentiae damnet. Quamobrem perſequemur etiam officinas, ut tanquam in vita frugum noſcitur ratio, ſic omnes, qui iſtis gaudent, praemia vitae ſuae calleant:* hinc & nos huiuſce diligentiſſimi obſervatoris veſtigia legentes varia purpureorum colorum artificia differere exordiemur, nullo tamen etiam antiquo ſcriptore praeterito, qui de hujuſmodi artificiis verba fecerit.

CAPUT XXII.

De Conchis purpurariis.

UTebantur antiqui homines ad fingendos purpureos colores duobus conchyliorum generibus turbinatis, quorum primum buccinum, alterum purpura, aut pelagia appellaretur. Buccinum, non iam maius, quo ſonus tubae editur, ſed minus, os habebat rotundum, & in margine inciſuris aliquot notatum, & prope petras, ac ſcopulos degebat. Purpura ornabatur ſeptem aculeis in orbem quemlibet, non minus ac longo, & cavo roſtro, qua linguam ſuam longiſſimam exerebat, quae omnia buccino deerant. Utrumque genus tot habebat orbes, quot annos. Cito grandeſcebant, anno magnitudinem complebant, ſeptem annis vivebant, aqua dulci interibant, captae quinquaginta dies ſaliva ſua vivebant. Incipit Plinius lib. IX. cap. XXVI. *Duo ſunt genera. Buccinum minor concha ad ſimilitudinem eius piſcis, quo ſonus editur, unde & cauſſa nominis a rotunditate oris in margine inciſa. Altera purpura vocatur cuniculatim procurrente roſtro, & cuniculi latere introrſus tubulato, qua efferatur lingua. Praeterea clavatum eſt ad turbinem uſque aculeis in orbem ſeptenis fere, qui non ſunt in buccino, ſed utriſque orbes totidem, quot habent annos: vivunt annis plurimum ſeptenis. Lingua purpurae longitudine digitali, qua paſcitur perforando reliqua conchylia: tanta duritia aculeo eſt. Aqua dulci necantur, & ſicubi flumen immergitur: alioqui captae diebus quinquagenis vivunt ſaliva ſua. Conchae omnes celerrime creſcunt, praecipue purpurae, anno magnitudinem implent. Buccinum non niſi petris adhaeret, circaque ſcopulos legitur. Purpurae nomine alio pelagiae vocantur.* Ariſtoteles de hiſt. animal. lib. V. cap. XV. Εχουσι δε και τα επικαλυμματα κατα ταυτα αμφοτερα. και τα αλλα τα ϛρομβωδη, εκ γενετης. Παντα νεμονται δε εξειροντα την καλουμενην γλωτταν υπο το καλυμμα· Το δε μεγεθος της γλωττης εχει η πορφυρα μειζων δακτυλου, ω νεμεται, και διατρυπτει τα κογχυλια, και το αυτης οϛρακον.

 εϛι

εστι δε και η πυρφυρα και ο κηρυξ αμφοτερα μακροβια· ζη γαρ η πορφυρα περι ετη εξ, και καθ' εκαστον ενιαυτον φανερα εστιν η αυξητις τοις διαστηματι, τοις εν τω οστρακω της ελικος. Operculum idem oris tam huic utrique generi (buccinorum, & purpurarum) *adhaeret, quam ceteris turbinatis omnibus. Paſci quoque exſerta lingua appellata ſub illo operculo ſolent. Longior digito lingua haec purpuris eſt, qua paſcitur, & tum conchulas, tum etiam ſui generis teſtam perforare poteſt. Tempus vivendi & purpuris, & buccinis longum. Annos enim ſex purpurae vivunt, & ſingulis annis incrementum earum patet per orbes, quos totidem, quot annos habent.* Eadem refert Athenaeus Deipnoſoph. lib. III. cap. VI. VII.

Plurimi nummi ad Tyrum pertinentes, quos referunt Vaillantius de Coloniis, auctor Muſaei Theupoli, aliique, & aliquot etiam nummi pertinentes ad familiam Purpureonum gentis Furiae, quos refert Theſaurus Morellianus inter gentis ipſius Furiae nummos, eleganter praeſeferunt modo concham purpuram ſuis illis aculeis ornatam, modo Buccinum aculeis carens, iuxta ac Plinium, & Ariſtotelem deſcripſiſſe vidimus. Nos unum, & alterum ex hiſce Tyriis nummis, tertium vero gentis Furiae familiae Purpureonum prima hujus libelli fronte exhibuimus ex ipſo Vaillantio, & Theſauro Morelliano depromptos, nobiſque a ſummo amico & populari Cl. Viro Petro Burgheſio in celebri ſuo Muſeo pluries patefactos.

Conchae purpurae, aut potius buccina, quae in primis duobus nummis exhibentur, ad celebrem officinam Tyriae purpurae profecto adludunt, uti concha purpura, quae in ſecundo nummo exhibetur, ad cognomen familiae Purpureonum clariſſime adludere videtur. Sed Avercampium in dicto Theſauro Morelliano diſſerentem audiamus: *Furia gens Fuſia primum dicta pronunciatione antiquiore, dein Fouria, ex antiquiſſimis fuit... Quum minus recte ſcorpionem pro concha Tyria alii edidiſſent, ut Urſinus, Patinus, Vaillantius, Morellius docuit ratione cognominis concham Tyriam exprimi..... Male Patinus in primo familiae Furiae nummo Fur repoſuit pro litteris Pur, ab Urſino ita recte datis, ac nihil aliud, quam initiales cognominis Purpureo exponentibus, cuius certiſſimum indicium in ipſo nummo deprehendimus, concham ſcilicet Tyriam, purpuram ex ſe generantem, minime vero ſcorpionem, quem inſculpſerunt...... De animalculo vero falli Perizonium, qui ſpinas conchae pedes animalculi putaſſe videtur, oſtendit Morellius: In primo Furiae gentis nummo inter capita equorum, & aurigam non animalculum eſt, ſed certiſſime conchylium, ex cuius cruore fiebat purpureus color, quo adluditur ad cognomen huius gentis Purpureo. Conchylium iſtud alias ſaepiſſime exhibetur in Tyriorum nummis, ceu patet ex Vaillantii Coloniis, ubi figura illius recte omnino exhibetur.* Addimus nos in Tyri nummis, quos exhibuimus argumentum maius conchae purpurae, ſive buccini videri modo Herculem leonina pelle, & clava ornatum, modo canem, quos purpurae inventores fuiſſe fabellae Tyriae referunt, uti cap. LI. erit narrandum. Addimus quoque, nos animadvertiſſe, peccari ab omnibus fere rei antiquae nummariae recentibus ſcriptoribus, qui Tyri, aut Purpureonum nummos exprimentes, animalculum, aut aliud ignotum ſignum loco conchae purpurae, quam debuerant, obtrudunt.

Plures vero erant harum concharum ſpecies. Plinius eodem loco: *Earum* (*purpurarum*) *genera plura pabulo, ac ſolo diſcreta. Lutenſe putri limo, & algenſe enutritum alga, viliſſimum: utriſque melius Tenienſe in Tenei maris ora collectum. Hoc quoque tamen etiamnum levius, atque dilutius: calculoſae appellantur a cal-*

a calculo maris mire apto conchyliis, & longe optimum purpuris dialutenſe, ideſt vario ſoli genere paſtum. Ariſtoteles eodem loco: Ειτι δε των πορφυρων γενη πολλα· Και ενιαι μεν μεγαλαι, οιθ' αι περι τον Σιγειον και Λεκτον· Αιδε μικραι, οιθ' εν τω Ευριπω, και περι την Καριαν· Και αι μεν εν τοις κολποις μεγαλαι, και τραχειαι.... Γινονται δ' ενιαι των μεγαλων, και μναιαι. Αι δ' εν τοις αιγιαλοις, και περι τας ακτας το μεν μεγεθος γινονται μικραι· *Genera purpurarum plura, & nonnullae magnitudine augentur ingenti, ut quae ad Sigeum, & Lectum (Idae promontoria) gignuntur. Aliae parvae, ut quas Euripus fert, & Caria. Quae in pelago degunt, magnae, ſcabraeque ſunt..... Nonnullas ex magnis vel ad pondus minae evadere novimus. Parvae ad littora, & oras reperiuntur.*

Adeo autem numeroſa erat quondam huiuſmodi buccinorum, & purpurarum familia, ut maria, & littora omnia hiſce conchyliis referta viderentur. Plinius loco eodem: *Conchylia, & purpuras omnis ora atterit*. Anonymus fere aetate Caroli magni vivens relatus a Cl. Muratorio in Diſſert. XXIV. tom. II. Antiq. medii aevi: *Conquilium naſcitur in omne mare, pluſquam in inſula, in his lacis: conchula habet in ſe locum ſanguinis, & ſanguis rubeus porfirizontas, ex quo porfira tinguitur*. Utebantur vero veteres hiſce conchyliis etiam in cibum, eaque inter delicatiores epulas ſtatuebant. Macrobius Saturnal. lib. II. cap. IX. ſeriem eduliorum referens, quae appoſita fuerunt in adiiciali coena, quam Metellus Flamen inſtruxerat ceteris Flaminibus, Virginibuſque Veſtalibus, inter cetera edulia etiam *murices, & purpuras* commemorat. Apuleius in Apologia fragmentum Ennii recitat ex libro, qui inſcribebatur *Phageticon*, ſive de eduliis, in quo loca enumerantur delicatioribus piſcibus celebriora, & in quo regio Atarna, uti ſapidiorum buccinorum, & purpurarum ferax ita deſcribitur:

Calvaria pinguia Atarnae,
Purpura, muriculi, mures, dulces quoque echini.

Ita quoque Lucilius apud Nonium in verbo *Oſtrea*:

Oſtrea nulla fuit, non purpura nulla Pelori.

Horatius lib. II. Sat. IV.

Murice Baiano melior Lucrina Peloris.

Martialis lib. XIII. epigr. LXXXVII.

Murices

Sanguine de noſtro tinctas ingrate lacernas
Induis, &, non eſt hoc ſatis, eſca ſumus.

Columella deſignat etiam piſcinarum locum in maritimis fundis ad nutriendos cibi gratia murices, purpuraſque. Ita ille lib. VIII. cap. XVI. *Limoſa regio planum educat piſcem, velut ſoleam, rombum, paſſerem: eadem quoque maxime idonea eſt conchyliis, muricibus, & oſtreis purpuriſque.* Idem affirmant etiam Iulius Pollux Onomaſtici lib. VI. cap. IX. ſegm. XLVII., & Athenaeus Deipnoſoph. lib. III. cap. VI. VII.

Utebantur etiam veteres hiſce conchyliis ad medicinam, uti tradidere Plinius lib. XXXII. cap. IX. X., Dioſcorides lib. II. cap. IV. V. VI., & Serenus Samonicus Carm. XLIV.

CA-

CAPUT XXIII.

De piſcatione concharum purpurariarum.

PLurimis modis autem veteres hujuſmodi conchylia piſcabantur. Nonnulli carnibus ranarum ſimplici hamo additis eas captabant. Plinius lib. XXXII. cap. V. *Carnibus earum (ranarum) vel hamo additis praecipue purpuras certum eſt allici*. Alii autem in alto iaciebant textum quemdam concharum clufilium, aut bivalvarum, quae a purpuris promiſſa lingua admorſae, illico magna vi ſe claudentes, etiam linguam purpurarum comprimebant, quae proinde purpurae impeditae, & haerentes una cum conchis illis extrahebantur. Plinius lib. IX. cap. XXXVI. *Capiuntur autem purpurae parvulis, rariſque conchis textu veluti naſſis in alto iactis. Sunt iis eſca cluſiles, mordaceſque conchae, quales videmus has femineces, ſed redditas mari, avido hiatu reviviſcentes. Appetunt eas purpurae, porrectiſque linguis infeſtant. At illae aculeo exſtimulatae claudunt ſeſe, comprimuntque mordentes: ita aviditate ſua purpurae tolluntur*. Hoc piſcationis genus abſque naxis adminiſtratum reſpuere videtur Ariſtoteles dicto loco: Οι μεν ουν αρχαιοι προς τοις δελεχτιν ου καθιεζον ουδε προτηττον τους κυρτους, ωϛε συνεβαινεν ανεσπασμενην ηδη πολλακις αποπιπτειν. οι δε νυν, προσαπτουσιν, οπως εαν αποπετη, μη απολυηται, μαλιϛα δε αποπιπτει, εαν πληρης η. κενης δε ουσης, αποσπασθαι χαλεπον. *Veteres naſſam eſcae adiunctam demittere non ſolebant: itaque ſaepe accidebat, ut purpura iam extracta decideret. At homines noſtrae aetatis adiungunt naſſas, ne, ſi decidat, abſolvatur: quod tunc potiſſimum evenit, cum pleniſſima eſt: nam ſi inanis ſit, difficile ſe avellere poteſt*. Idem fere confirmat Aelianus de natura animal. lib. VII. cap. XXXIV.: Η πορφυρα λιχνον εστιν ισχυρως, ωτι και εχει γλωτταν προμηνεστεραν, και διειρει δια παντος ουπερ αν και δυνηται, και δια ταυτης ελκει οσα αν και εσθιει· Και δια ταυτης δε αλισκεται, και ο τροπος της θυρας εκεινος εστι· Διαπλεκεται κυρτις μικρα μεν, πυκνη δε· και εντος εχει στρομβον τη πορφυρα το δελεαρ, και διειρεται ουτος εν τη κυρτιδι μεση· Αγωνισμα ουν τη πορφυρα διατειναι την γλωτταν εστι, και εφικεσθαι αυτου· και αναγκη πασαν αυτην προβαλλειν, ει μελλοι μη αμαρτησεσθαι, ον γλιχεται, λαβειν· και εκβαλλουσα την γλωτταν εκμυζα, ειτα διωδησεν εαυτην η γλωττα υπο πλησμονης, και εξελκυσαι αδυνατος εστιν αυθις, μενει τοινουν αλουσα· και ο πορφυρευς αισθομενος, εθηρασε δευτερος υπο της λιχνειας την προειρημενην· *Purpura vehementer edax eſt, longam habet linguam, eaque penetrat quaecumque poteſt, & attrahit, quae comedit: eadem etiam capitur. Capiendi modus eiuſmodi eſt. Parva naſſa denſo contextu contexitur: intus in media naſſa ſtrombus piſcis, illecebra, appenditur ad eam alliciendam. Purpura igitur maiorem in modum linguam d'ſtendere contendens eo pertinere, & ſtrombum ipſum adſequi conatur, & ne ab eſca, quam ligurit, aberret, omnem eam neceſſe habet exſerere: itaque, ipſa exſerta, ſugit eſcam, quoad plenitudine intumeſcentem iterum retrahere non poſſit: unde fit, ut eam piſcator liguritione irretitam comprehendat*. Iulius denique Pollux Onomaſtici lib. I. cap. IV. ſequentem piſcandi haec conchylia rationem deſcribit: Τα δε νυν οι φοινικες ουτω τησωσι το ζωων, και το εριον κροννυνθες δηλουσιν ως προς την οψιν ανθειν· Σχοινιον πλεξαμενοι παμμηκες τε, ισχυρον τε, και καρτερον, ως ενδιαλαττευειν δυνασθαι, τουτω συνεχεις ωσπερ κωδωνας εξαρτωσιν εκ μετριων διαστηματων, κυψελας εκ σπαρτου τινος η σχοινου διαπλεξαμενοι δασειαι δ' εισι τα κατα την εισοδον· τα γαρ

των

των σπαρτων, η των σχοινων τελη περι τοις στομασι των κυψελων εξεπιτηδες ανεχειν εωσιν, ως τω μεν παριοντι ραδιως εικειν, και διιστασθαι, αναχωρησιν δε εις τουμπαλιν, μηδε αναστροφην τω σαρελθοντι ενδιδοναι· ταυτας τας κυψελας δελεασαντες οι πορφυρεις εν τοις πετρωδεσι καθιασι, το καλωδιον φελλου τινος εξαψαντες ως αν εχειν το θηραμα· διαλιποντες δε νυκτα, και δη εφημερευσαντες ως επι το πολυ, τας κυψελας εμπλεως των ζωων ανελκευσιν· *Ceterum Phoenices animal hoc ſic capiunt, lanamque tinctam uti florentem exhibent. Funem enim complicantes, & longum, & validum, qui in mare perdurare poſſit, cui tintinnabulorum inſtar certo quodam ordine, & intervallo vaſa aliqua e ſcirpo, funibuſque contexta appendunt, quorum ingreſſus quidem patulus, ſcirporum enim, funiumque capita de induſtria prominere ſinunt, ut ingredienti animali ad intrandum, & dirimendum facilia ſint, regreſſum vero, & converſionem non permittant. Et haec vaſcula eſcis impleta purpurarum piſcatores inter ſaxoſa loca demittunt, funem de ſubere quodam, ut capta animalia ſuſtineat, ſuſpendentes, hiſque per noctem, & diem nonnunquam relictis, poſtea conchis referta ſubtrahunt.*

Utrumque vero hoc conchyliorum genus neſas erat a primo vere ad caniculae ortum piſcari. Circa enim caniculae ortum tricenis diebus omnino latebant, ut partus ſuos educerent, verno autem tempore, licet reperirentur, cum tamen eo tempore aut cerificationibus, & favaginibus condendis, aut ovis deponendis incumberent, ita effoeto ſueco donabantur, ut hic ad tingendas purpuras ineptus omnino haberetur, additque Plinius, hanc obſervationem pleroſque artificum purpurariorum vix tunc animadvertere conſueviſſe, licet id plurimi ad nobiliores purpuras edendas referret. Ita illa eodem loco, *Purpurae latent, ſicut murices, circa canis ortum tricenis diebus. Congregantur verno tempore, mutuoque attritu lentorem cuiuſdam cerae ſalivant. Simili modo & murices... Capi eas poſt canis ortum, aut ante vernum tempus, utiliſſimum, quoniam, cum foetificavere, fluxos habent ſuccos. Sed id tingentium officinae ignorant, cum ſumma vertatur in eo.* Minutius rem ipſam differit Ariſtoteles laudato loco, niſi quod errat, ut ſolet, exiſtimans, haec conchylia ex putri limo procreari, contra ac rectiſſime noſtri homines ſentiunt, qui etiam haec conchylia, uti omnia animantia, ex ovis prognaſci, & favagines, favos, aut cerificationes, quae in mari reperiuntur, eſſe ovorum pleniſſima receptacula arbitrantur. Ita igitur ille: Αι μεν ουν πορφυραι, του εαρος συναθροιζομεναι εις ταυτο, ποιουσι την καλουμενην μελικηραν· τουτο δ' εστιν οιον κηριον, πλην ουχ ουτω γλαφυρον, αλλ' ωσπερ αν ει εκ λεπυριων η ερεβινθων λευκων πολλα συμπλακοιεν· ουκ εχει δε ανεωγμενον πορον ουδεν τουτων· ουδε γινονται εκ τουτων αι πορφυραι, αλλα φυονται και αυτα και τα αλλα εκ της σηψεως και ιλυος οστρακοδερμα. τουτο δε συμβαινει ωσπερ αποκαθαρμα, και ταυταις και τοις κηρυξι, κηριαζουσι γαρ και οι κηρυκες..... Αφιασι γαρ, αρχομενα κηριαζειν, γλισχροτητα μυξωδη, εξ ων τα λεπυριωδη συνισταται. ταυτα μεν ουν απαντα διακειται. αφιησι δε ο ειχεν, εις την γην. και εν τουτω τω τοπω γινεται εν τη γη συστατα πορφυρια μικρα, α εχουσαι αλισκονται αι πορφυραι επ' αυτων. ενια δ' ουπω διηκριβωμενα την μορφην. εαν δε πριν εκτεκειν αλωσιν, ενιοτε εν ταις πορμισιν οπου ετυχεν εκτικτουσιν, αλις εν τω αυτω ουσαι, ωσπερ εν τη θαλαττη, και δια την στενοχωριαν γινονται οιονειβοτρις... αλισκονται δε του εαρος οταν κιρυαζωσιν· υπο κυνα δε ουχ αλισκονται (ου γαρ νεμονται) αλλα κρυπτουσιν εαυτας, και φωλευουσι.:.. οταν δε κηριαζωσιν αι πορφυραι, τοτε χειριστον εχουσι το ανθος. *Purpurae verno tempore eundem in locum ſe colligentes condunt, quam favaginem nominant, quae velut favus eſt apum,*

apum, verum non ita elegans, ſed quaſi ex putaminibus cicerum alborum, multa inter ſe compoſita ſtruem unam ſua cobaeſione coagmentarint. Nullum iis patet foramen, neque ex iis purpurae enaſcuntur, ſed tum purpurae, tum etiam reliqua teſtis incluſa, e limo fere, & materia putreſcente oriuntur. Illa vero coagmentatio favo ſimilis, tamquam purgamentum, tam iis, quam buccinis evenit; nam buccinis quoque faviſicare in more eſt... Emittunt enim, cum ſuos ordiuntur favos, mucorem quemdam, ex quo putamineae cellulae illae conſiſtunt. Haec ergo rupta, diffuſaque omnia bumorem, quem continebant, in terram demittunt, mox eo, quo effuderint loco, gignuntur purpurulae, exordio admodum exiguo conſiſtentes, quas ſibi annexas gerunt, quae grandes capiuntur: nonnullae etiam forma nondum diſtincta cernuntur, ſi forte prius, quam pepererint, capiantur. Foetus interdum per crates, & tegetes, non qualibet elidunt, ſed congregatae eodem, ut facere in mari ſolent: itaque per anguſtiam, veluti uvae ſpecie, foetus conformantur.... Capiuntur tempore verno, cum favos exſtruunt. Caniculae tempore nullae fere capiuntur: (non enim tunc paſcuntur) ſed ſe abſcondunt, ac latent... Cum faviſicant purpurae, tunc deterrimum babent florem.

C A P U T X X I V.

De praeparatione conchurum purpurariarum.

Aborioſam piſcationem laborioſior praeparatio ſequebatur. Praemittendum autem, non totum purpurarum corpus fuiſſe aptum coloribus purpureis tingendis. Parvula enim tantum ſucci copia ad purpureos tingendos colores adhibebatur, quae contineretur in vena, aut veſcica quadam textu ſpiſſiore, & candido compoſita, & in mediis purpurae faucibus exſiſtente, quaeque parvula ſucci copia iccirco flos ab antiquis appellaretur. Reliquum vero purpurarum corpus tamquam omnino ad tincturam ſterile, & ineptum abiiciebatur, Plinius eodem loco: *Sed purpurae florem illum tingendis expetitum veſtibus in mediis babent faucibus, Liquoris bic minimi eſt in candida vena, unde pretioſus ille bibitur nigrantis roſae color ſublucens. Reliquum corpus ſterile.* Ariſtoteles eodem loco: Το δε ανθος (αι πορφυραι) εχουσιν ανα μεσον της μηκωνος και του τραχηλου, τουτων δ' εστιν η συμφυσις πυκνη. το χρωμα δε ιδειν ωσπερ ομην λευκος, ον αναφαιρωσι.... διατεινει δ' αυτην, ωσπερ βλεφα· τουτο δε δοκει ειναι το ανθος. η δε αλλη συμφυσις οιον στυπτηριας. *Florem ſuum (Purpurae) inter papaver dictum, & collum continent, textu ſpiſſiore, aſpectu veluti membranae candicantis, quam detrabunt..... Eadem videtur, ut vena, idque flos ille celeber putatur: reliquum contextus velut alumen eſt.*

Flos vero, ſive illius venae, aut veſcicae ſuccus, ſi premeretur, contrectantium manus inficiebat, nigerque erat, veluti atramentum, in purpuris regionum ad ſeptentrionem vergentium, rubidus vero aliquantulum, nimirum ruber atrore multo mixtus, erat in purpuris regionum ad meridiem vergentium. Ariſtoteles laudato loco: Και το ανθος αυτων, αι μεν πλεισται μελαν εχουσαι, ενιαι δ' ερυθρον μικρον... ετι δε εν μεν τοις βορειοις μελαιναι, εν δε τοις νοτιοις ερυθραι, ως επι το πλειστον ειπειν.... θλιβομενος δε (βλεφα), βαπτει, και ανθιζει την χειρα. *Flos earum (purpurarum) magna ex parte niger, ſed nonnullis rubidus puſillum... Partes item aquiloniae purpuras nigras, auſtrinae rubras magna ex parte ferunt.*

Tingit

Tingit haec (vena) preſſa , & inficit manum . Vitruvius alibi ſaepe relatus*: Quod (conchylium) legitur... ad ſeptemtrionem , eſt atrum.... inter ſeptemtrionem , & occidentem , eſt lividum ... ad orientem , & occidentem .... violaceo colore.. meridianis regionibus.....rubra procreatur poteſtate* . Maimonides relatus a Bocharto Hierozoicon part. II. lib. V. cap. IX. *Sanguinem* του *chilzon (purpurae) afferunt , qui piſcis eſt coloris techeleth , atri ſanguinis , inſtar atramenti , qui in mari ſalſo reperitur* .

Extrahebant autem corpora purpurarum e teſtis , maiora quidem manu , minora vero vel ferramentis , vel trapetis frangebant , ea tamen lege , ut purpurae ictu uno occiderentur; nam ſi paullatim ſcinderentur , ſuccus ille coloratus , ſive flos , evomebatur cum vita , aut evanidus , & ineptus tincturae evadebat . Julius Pollux loco ſupra relato : Επειτα κοψαμενοι το οστρακον εν ταιτω και την σαρκα. *Teſtam deinde una cum carne contundentes* . Vitruvius pluries repetito loco : *Ea conchylia , cum ſunt lecta , ferramentis ſcinduntur* . Plinius quoque citato loco : *Et maioribus quidem purpuris detracta concha auferunt , minores trapetis frangunt* . Ariſtoteles ipſe ſupra memorato loco : Τας μεν ουν μικρας μετα των οστρακων κοπτουσιν· ου γαρ ραδιον αφελειν· των δε μειζονων περιελοντες το οστρακον , αφαιρουσι το ανθος.. σπουδαζουσι δε ζωσας κοπτειν· εαν γαρ πριν κοπτειν προτερον αποθανη , συνεξεμει το ανθος , διο και φυλαττουσιν εν τοις κυρτοις , εως αν αθροισθωσι , και σχολασωσιν. *Parvas tundunt cum teſtis : non enim detrahere facile eſt : maiorum florem teſta ablata detrahunt .... Dant operam , ut vivae frangantur , nam ſi prius , quam fregeris , exſpirarint , florem omnem cum vita evomunt . Quapropter ſolent eas aſſervare in naſſis , dum ipſae ſe colligant , atque requieſcant* . Aelianus de hiſt. animal . lib . XVI. cap . I.: Ανηρ πορφυρευς οταν θηραση πορφυραν , ουκ εις ανθρωπων τροφην , αλλ' εις εριον βαφην , ει μελλει μενειν η εκ του ζωου χροα δευσοποιος , και δυσεκνιπτος , και οια τε εσται την βαφην εργασασθαι γνησιαν αλλ' ου δεδολωμενην , μια λιθου καταφορα διαφθειρει την πορφυραν αυτοις οστρακοις. Εαν δε κουφοτερα η πληγη γενηται , καταλειφθη δε το ζωον ετι εμπνουν , αχρειος εστιν εις την βαφην αναποθειται εις τον της σαρκος ογκον , η αλλως εκρυειται . Τουτο τοι και Ομηρος οιδε , φασι . και τους αποθνησκοντας αθροως μια πληγη τω της πορφυρας θανατω καταλαμβανεσθαι φησι . το αδομενον εν τοις εαυτου μετροις αναμελπων εκεινο . Ελλαβε πορφυρεος θανατος , και μοιρα κραταιη. *Purpurarius infector , ſi poſtquam purpuram non in hominum cibum , ſed ad tingendas lanas comprehenderit , inexhauſtum velit fieri colorem , & perfecte tinctum , uno ſaxi ictu purpuram interimit . Quod ſi levior plaga inferatur , & etiam nunc ſpirans relinquatur , atque iterum lapide percutiatur , ad tincturam fit inutilis , nam ex eo dolore tincturam amittit . Quod quidem ipſum praeclare Homerum intellexiſſe dicunt . Iccircoque uno ictu celeriter morientes purpurea morte affici ait , pervulgatum ſuis verſibus illud canens : Cepit hunc purpurea mors , & Parca robuſta* .

Divellebantur inde manu hae venae a corpore purpurarum , ſi hae purpurae forent magnae , & ea divulſione caput a ventre purpurarum ipſarum ſeparabatur . Si vero minores forent purpurae , integra purpurarum corpora adhibebantur , non enim eas venas in parvis divellere facile erat . Eodem loco Plinius : *Et maioribus quidem purpuris detracta concha auferunt , minores trapetis frangunt.* Eodem loco etiam Ariſtoteles*:* Τας μεν ουν μικρας μετα των οστρακων κοπτουσιν. ου γαρ ραδιον αφελειν. των δε μειζονων περιελοντες το οστρακον , αφαιρουσι το ανθος. διο και χωριζεται ο τραχηλος και η μηκων. μεταξυ γαρ τουτων το ανθος , επανω της

κοιλου-

κχλουμενης κοιλιας. αφαιρεθεντος τοινυν αυχυη διηρησθαι. *Parvas tundunt cum teſtis: non enim detrahere facile eſt: maiorum florem teſta ablata detrahunt. Quamobrem evenit, ut collum a ventre ſeparetur: flos enim poſitus inter haec eſt, ſupra eam partem, quam ventrem appellant: itaque detracto flore dividantur partes iſtae, neceſſe eſt.*

Tum aeedem hae venae ſale triduo macerabantur, cuius ſalis ratio erat ſextarii unius, ſive unciarum viginti in ſingulas venarum centenas (potius denas, aut vicenas) libras. Plinius loco eodem: *Eximitur poſtea vena, quam diximus, cui addi ſalem neceſſarium ſextarios ferme in libras centenas. Macerari triduo iuſtum. Quippe maior vis tanto, quanto recentior.* Pollux citato loco: Ταριχευσαντες τε επι δευσοποιαν. *Sale condiunt ad. tincturam.*

In plumbeas cortinas hinc venae iſtae iniiciebantur, & aqua ea ratione infundebatur, ut amphora, ſive librae octoginta aquae in ſingulas centenas quinquagenas venarum libras ſufficere exiſtimarentur. Ita liquida mixtura fiebat, cuius fere tertia pars aqua, duae tertiae partes venis conſtarent. Plinius ipſe: *Singulis aquae amphoris centenas, atque quinquagenas medicaminis libras aequari.*

Demum plumbeae iſtae cortinae lento igni longinquae fornacis fervere ſinebantur, & inter fervendum deſpumabantur fruſta carnis, quae venis adhaeſiſſe neceſſe erat, quaeque ipſe idem fervor a venis divellebat. Poſt decimum denique diem incipiebant ſucci illi efflorefcere, ut aiebant antiqui, nimirum colores purpureae tincturae aptos ducere incipiebant. Periculum intincto vellere laneo elutriato factum demonſtrare omnino poterat, an ſucci ad eum maturitatis locum deveniſſent, qui ſpei quaeſitarum purpurarum ſatisfacere videretur. Plinius eodem loco: *Fervere in plumbo..., ac modico vapore torreri, & ideo longinquae fornacis cuniculo. Ita deſpumatis ſubinde carnibus, quas haeſiſſe venis neceſſe eſt, decimo ferme die liquatis, cortina vellus elutriatum mergitur in experimentum. Hoc donec ſatisfiat, uritur liquor.*

Addit eodem loco Plinius purpurarum ſuccum inter fervendum factum fuiſſe viridem, poſt fervorem nigerrimum: *Immatura, viridique cortina..., nimiaeque eius* (ideſt Pelagii) *nigritiae.*

Eamdem cocturam brevius deſcribit Pollux eodem citato loco: Υδατι την ατην εκκαθηραντες, ενεψουσιν εμπυρω λεβητι το θηραμα το θαλαττιον. *Aqua immunditiem omnem purgantes in ferventi lebete hoc marinum animal coquunt.* Nec non Maimonides ſupra relato loco, niſi quod hic ulterius cimoliam, aut alia huiuſmodi pigmenta in cortinam indi conſueviſſe affirmat: *Cum fimbriarum thecheleth* (ſeu purpuram) *infecturi ſunt, lanam ſumunt, quam in calce maceratam, & ſubinde lotam, donec ſit nitida, in ſapone elixant, atque aliis huiuſmodi, quomodo infectores ſolent, ut lana colorem imbibat. Quo facto ſanguinem* τω *chilzon afferunt, qui piſcis eſt coloris thecheleth, atri ſanguinis, inſtar atramenti, qui in mari ſalſo reperitur. Et ſanguinem in cortina ponunt cum pigmentis variis, cimolia puta, atque aliis huius generis pro more infectorum. Et poſtquam elixus eſt, lanam in eum immergunt, donec fiat caelo concolor.* Eamdem quoque cocturam, muria, aut aqua marina in ſalis locum ſuffecta, deſcribit relatus Anonymus apud Muratorium Differt. XXIV. Antiq. medii aevi. *Colligitur autem ſic. Tolle conquilium, & coquet ipſum ſanguinem cum carnibus, & tolle moriam de mare, aut ſaliſmorie, & componis in vas, & dimittis.*

Vitruvius autem relato loco, ſale, & coctura omiſſa, purpurarum ſuccum refert

refert in mortariis tantum tritum fuiſſe, circumfuſo melle, ne materia ſitiret, & denſaretur: *Ea conchylia, cum ſunt lecta, ferramentis ſcinduntur, e quibus plagis purpurea ſanies, uti lacryma profluens, excuſſa in mortariis terendo comparatur ... Id autem propter ſalſuginem cito fit ſiticuloſum, niſi mel habeat circumfuſum.* Immo Plutarchum quoque in Alexandri magni vita audivimus affirmantem, Perſas ſale, & coctura omiſſa, in purpuris rubicundis mel adhibuiſſe, in purpuris vero candidis oleo albo uſos fuiſſe: Αιτιον δε τουτου φασιν ειναι το την βαφην δια μελιτος γινεσθαι των αλουργων, δι᾽ ελαιου δε, λευκου, των λευκων. *Cuius rei cauſſam eſſe dicunt, quod purpurae rubicundae tinctura melle paretur, tinctura autem purpurae candidae oleo albo.*

Ita denique hanc ſucci purpurarum praeparationem nobis deſcribit Caſſiodorus lib. I. epiſt. II., & ipſe ſalituram, & cocturam ſilentio praeteriens: *Si perſcrutator Hydruntini maris intuſa conchylia ſolemniter condidiſſet apto tempore, acervus ille Neptunius, generator florentis ſemper purpurae, ornator ſolii, aquarum copia reſolutus imbrem aulicum flammeo liquore laxaret.* Forſitan autem plura artificiorum genera, eaque omnia ad colores purpureos condendos aeque utilia antiquitus obtinebant.

Mirum profecto, & Plinium, & ceteros omnes, quos hoc capite adduximus, ſcriptores, unius praeparationis purpurarum ſucci mentionem feciſſe, nullam vero praeparationis ſucci buccinorum. Nos vero credimus, eaſdem leges, quae in ſucco purpurarum parando adhiberentur, in ſucco quoque buccinorum ad tincturam inſtituendo adhibitos fuiſſe, & quod Plinius, & Ariſtoteles relatis locis omnia communia fuiſſe buccinis, & purpuris aſſeruere, prout hoc, & ſuperiori capite eſt demonſtratum, & quod eadem colorati ſucci vena, aut veſcica utrumque genus donaretur, prout capite ultimo obſervabimus, & quod denique revera uterque ſuccus & purpurarum, & buccinorum in purpureis coloribus tingendis adhiberetur, prout ſequenti capite videbimus. Id tantum diſcriminis autem fuiſſe arbitror, quod purpurarum ſuccus, inter fervendum viridis, poſt decimum fervoris diem niger fieret, buccinorum vero ſuccus, viridis quidem inter fervendum, ſed rubicundus fere, & coccineus poſt decimum fervoris diem evaderet, teſte ipſo Plinio citatis locis: *Immatura viridique cortina.... Buccinum.... Pelagio admodum alligatur, nimiaeque eius nigritiae dat auſteritatem illam, nitoremque, qui quaeritur, cocci.*

C A P U T X X V.

De tinctura colorum purpureorum.

ABſoluta huiuſmodi ſuccorum praeparatione tandem ad tincturam ipſam colorum purpureorum manus admovebatur. Sed obſervandum prius, antiquos non iam lanam netam, aut textam, ſed rudem tantum coloribus purpureis infeciſſe. Plinius lib. IX. cap. XXXVIII. id primum demonſtrat affirmans, lanam ſemel tinctam ante carminari conſueviſſe, quam ſecundo mergeretur. Iam vero lana rudis, non vero neta, aut texta carminari poteſt. *Quinis lana potat horis, rurſuſque mergitur carminata, donec omnem ebibat ſaniem.* Vidimus ſuperiore capite Maimonidem referentem, lanam puram fuiſſe prius calce maceratam, tum lotam, inde ſaponis lixivio ſubiectam, & aliis huiuſmodi praeparationibus ſuba-

ctam, quibus, ut lana colorem melius imbiberet, infectores uti ſolebant. Haec autem omnia in lana rudi, non autem in neta, aut texta uſuvenire poterant. *Lanam ſumunt, quam in calce maceratam, & ſubinde lotam, donec ſit nitida, in ſapone elixant, atque aliis huiuſmodi, quomodo infectores ſolent, ut lana colorem imbibat.* Propertius lib. IV. eleg. III. Arethuſam inducit colo nentem fila lanea iam purpureo Tyrio colore infecta:

Noctibus hibernis caſtrenſia penſa laboro,
Et Tyria in radios vellera ducta ſuos.

Immo Homerus ipſe Odyſſeae lib. VI. verſ. CCCVI. Alcinoi filiam nobis exhibet purpuream lanam nentem:

Ηλακατα στρωφωσ' αλιπορφυρα, θαυμα ιδεσθαι.
Penſum verſans purpureum mirabile viſu.

Hoc poſito, ad tincturam purpurarum, & prius purpurae violaceae accedamus. Ut purpuram violaceam itaque conderent antiqui, immittebant prius lanam in cortinam ſucco rubicundo buccinorum repletam quinque horarum ſpatio, & poſtea extractam; & carminatam in cortinam nigro ſucco purpurarum plenam rurſus mergebant, quouſque illis ſuccis ubique pervaſa, & fere ſatiata, & ebria fuiſſet facta. Plinius eodem lib. IX. cap. XXXVIII.: *Concharum ad purpuras, & conchylia eadem quidem eſt materia, ſed diſtat temperamento.... Quinis lana potat horis, rurſuſque mergitur carminata, donec omnem ebibat ſaniem. Buccinum per ſe damnatur, quoniam fucum remittit. Pelagio admodum alligatur, nimiaeque eius nigritiae dat auſteritatem illam, nitoremque, qui quaeritur, cocci. Ita permixtis viribus alterum altero excitatur, aut ſtringitur..... Ita fit amethyſti color eximius ille.*

Ut vero purpuram Tyriam rubidam inficerent antiqui, prius lanam rudem e converſo immittebant in cortinam ſucco purpurarum plenam eodem quinque horarum ſpatio, non iam vero cum ſuccus eſſet excoctus, & omnino niger, ſed cum adhuc eſſet immaturus, & viridans, & hinc eamdem extractam, & carminatam iterum in cortinam rubicundo buccinorum ſucco repletam mergebant, quouſque tota penitus quoque madefacta, & ſatiata appareret. Idem Plinius: *At Tyrius Pelagio primum ſatiatur immatura, viridique cortina, mox permutatur in buccino. Laus ei ſumma color ſanguinis concreti nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens.*

Hoc igitur inter tincturam violaceae, & rubidae purpurae diſcrimen erat, ut violacea prius ſucco buccinorum, inde purpurarum mergeretur, rubida vero Tyria prius purpurarum, deinde buccinorum ſucco madeſceret.

Summa vero, & ratio liquidae mixturae ad tingendas haſce duas purpuras requiſita haec erat, ut buccinorum librae biſcentum, purpurarum librae centum, & decem, libris decem vellerum tingendis ſufficere putarentur. Idem Plinius: *Summa medicaminum in libras X. vellerum, Buccini CC., Pelagii CX.* Obſervandum hic vero, hiſce medicaminibus adiungendam fuiſſe aquam ea ratione, ut tertia pars aqua, duae tertiae partes medicaminibus conſtarent, uti ſuperiori capite eſt enarratum. Hinc ſi ea ratione libris CC. buccinorum librae C. aquae, & libris CX. purpurarum librae LV. aquae erant adiungendae, liquida mixtura exſurgebat librarum CCC. buccinorum, & librarum CLXV. purpurarum, atque ita in totum mixtura librarum CCCCLXV. exſurgebat, quae decem libris lanae tingendis ſufficere putaretur. Obſervandum etiam, hanc mixturam librarum

CCCCLXV. longo decem dierum fervore forſitan ad pauculas craſſi glutinis libras fuiſſe redactam, cujus quantitatem ignoramus, ſed quam tamen uſu edocti fuerant antiqui neque craſſius, neque aquatius medicamen conſtituere, quamque optime decem libris lanae tingendis ſuppetere eſſet compertum.

Ut tingerent vero antiqui conchyliatas purpuras caeruleam ſaturatiorem, ſive hyacinthinam, caeruleam dilutiorem, ſive molochinam, & flavam, uti vidimus, madefaciebant lanam rudem in una cortina ſucco purpurarum plena, omnino omiſſa cortina buccinorum, quae buccina nullo modo in hiſce conchyliatis coloribus tingendis adhibebantur. Plinius ipſe: *In conchyliata veſte cetera eadem ſine buccino*.

Ratio vero, & ſumma ſucci purpurarum, qua uterentur in hiſce conchyliis tingendis, erat dimidium illius ſucci, qui in tingendis purpuris violaceis, & rubidis adhibebatur. Atque ita cum in iſtis purpuris violaceis, & rubidis CX. librae ſucci purpurarum adhiberentur, in purpuris conchyliatis caeruleis ſaturatioribus, caeruleis dilutioribus, & flavis tantum LV. librae ſucci purpurarum in ſingulas libras X. vellerum tingendas adhibebantur. Aqua vero, quae in iiſdem LV. libris ſucci purpurarum miſcebatur (procul dubio eadem tertiae partis ratione) lotio, aut potius iure temperari conſuevit. Idem Plinius proſequitur: *In conchyliata veſte cetera eadem ſine buccino, praetereaque iure temperatur aqua pro inviſo humani potus excremento: dimidia & medicamina adduntur*.

Atque ita, quemadmodum maxima ſuccorum abundantia, quae erat CCCCLXV. librarum, uti vidimus, reddebat duas auſteriores purpuras violaceam, & rubidam, ita minima ſuccorum exiguitas, quae erat LV. librarum, aut ad ſummum librarum LXXIII. adiecta tertia parte aquae lotio aut iure permixta, tres praebebat floridiores conchyliatos colores caeruleum ſaturum, caeruleum dilutum, & flavum, qui ideo ſemiplenae purpurae habebantur, & ad hoc tincturae, & coloris diſcrimen ſignificandum colores conchylii, non purpurae dicebantur, uti etiam cap. XII. innuimus. Concludit Plinius: *Sic gignitur laudatus ille pallor ſaturitate fraudata, tantoque dilutior, quanto magis vellera eſuriunt*.

Dibaphae, vel bis tinctae purpurae nominabantur ab antiquis ſcriptoribus. Cornelius Nepos apud Plinium lib. IX. cap. XXXIX. *Huic ſucceſſit dibapha Tyria*. Tibullus lib. IV. eleg. II.

Mollia caris
Vellera det ſuccis bis madefacta Tyros.

Lucanus Pharſaliae lib. X.:

Strata micant, Tyrio quorum pars maxima fuco
Cocta diu, virus non uno duxit aheno.

Sidonius Apollinaris Carm. XV:

Cuius bis coctus aheno
Serica Sidonius fucabat ſtamina murex.

Sed nunc clare intelligere poterimus, quid ſibi velint relati, aliique plurimi ſcriptores, qui dibaphas, ſeu bis tinctas purpuras nominarunt. Dibapharum igitur, aut bis tinctarum purpurarum nomine indigitant unas purpuras violaceas, & rubidas, quae duobus ſuccis purpurarum, & buccinorum, duabuſque cortinis tingebantur, non vero purpuras conchyliatas caeruleas ſaturas, caeruleas dilutas, aut flavas, quae una cortina, & uno ſucco purpurarum, eoque exiguo, nullo vero modo cortina, & ſucco buccinorum tingerentur.

Alto

Digitized by Google

Alto premit ſilentio Plinius colores nigros, lividos, rubicundos, candidos, eorumdemque tincturam. Dicemus tamen, quod veri ſimilius ſit. Tinctura purpurarum nigrarum, & lividarum duobus forte modis uſuveniebat, nimirum vel natura, vel artificio. Natura quidem caeli, cum nempe purpurae in Gallia, in Ponto, ceteriſque regionibus ad ſeptentrionem vergentibus tingerentur, quibus locis purpurarum, & buccinorum ſucci nigriore colore producerentur, uti cap. XX. animadvertimus. Artificio vero, cum maior quantitas nigri ſucci purpurarum, quam ſucci rubicundi buccinorum adhiberetur. Quoties enim data erat ratio librarum CC. rubicundi ſucci buccinorum, librarum CX. nigri ſucci purpurarum, ut fierent colores rubidi, & violacei, ſi maior quantitas ſucci nigri purpurarum, minor vero ſucci rubicundi buccinorum adhiberetur, profecto nigrae, aut lividae purpurae, ut quivis videt, fuiſſent educendae. Tinctura quoque purpurarum rubicundarum, aut candidarum vel natura, vel artificio uſuvenire poterat. Natura, cum purpurae in Perſide, in India, ceteriſque huiuſmodi regionibus ad meridiem declinantibus inficerentur, quibus locis purpurarum, & buccinorum ſucci vividiori rubicundo colore fulgerent, uti cap. XX. vidimus. Artificio vero, cum maior quantitas rubicundi ſucci buccinorum, quam nigrioris ſucci purpurarum adhiberetur, & maxime adiecto melle purpuris rubicundis, & adiecto oleo albo purpuris candidis, uti Perſae, & Indi ſolebant iuxta Plutarchi teſtimonium, quod cap. X. retulimus.

Hinc facile etiam erui poterit colorum purpureorum tinctura, quos mixtos vocavimus, & quorum etiam tincturam reticuit Plinius. Scimus enim ex poenitentia enatos iſtos colores, & artifices, cum aliquem ex ſimplicibus purpureis coloribus ſuo artificio iam confectum, tamquam minus ſplendidum, reprobaſſent, eum veluti diffingentes, & delentes alium ſimplicem purpureum colorem altero artificio induxiſſe: verum tali ratione neque unum, neque alterum colorem ſimplicem purpureum, ſed medium quemdam defluxiſſe colorem utrique ſimplici aſſimilem, eumque mixtum colorem caſu ita enatum placuiſſe, & poſtea ex induſtria non caſu procudi conſueviſſe. Plinius relato lib. IX. cap. XLI.: *Poenitentia hoc primum debuit inveniſſe, artifice mutante quod damnabat: inde ratione nata votum quoque factum e vitio portentoſis ingeniis, & gemina demonſtrata via luxuriae, ut color alius operiretur alio, ſuavior ita fieri, lenīorque dictus.*

Cum igitur artifices lanam prius buccinorum, dein purpurarum ſucco mergentes violaceum colorem condidiſſent, iterum lanam ipſam prius purpurarum, deinde buccinorum ſucco mergentes, quaſi colorem Tyrium rubidum producturi, ex hac artificiorum mixtura medium quemdam colorem inter violaceum, ac rubidum Tyrium depromebant, qui ideo Tyriamethyſtinus, aut Tyrianthinus vocaretur.

Ita quoque cum rubidum Tyrium intincta prius lana in ſucco purpurarum, deinde buccinorum confeciſſent, iterum intincta eadem lana in uno exiguo purpurarum ſucco, lotio tantum, aut iure temperato, & buccinorum ſucco omiſſo, tres medios colores excudebant, unum, qui medius eſſet inter Tyrium rubidum, & caeruleum ſaturum, alterum, qui medius eſſet inter Tyrium rubidum, & caeruleum dilutum, alterum denique, qui inter eumdem Tyrium rubidum, & flavum medius eſſet.

Demum cum prius ſucco purpurarum, deinde buccinorum fucata lana Tyrium ipſum rubidum paraſſent, in coccineum ſuccum mergentes, colorem quemdam medium inter rubidum, & rubicundum, & inter purpureum, & coccineum olorem, qui Hyſginus color eſt, efficiebant. CA-

CAPUT XXVI.

De foetore purpurarum, & Purpurariis.

Lanas vero ita infectas graviſſimo piſculento foetore oluiſſe omnino oportuit. Plinius lib. IX. cap. XXXV.: *Virus grave in fuco*. Martialis lib. II. epigr. XVI.

Quid torus a Nilo, quid Sidone tinctus olenti?

Idem Martialis lib. I. epigr. L.:

Olidaeque veſtes murice.

Hinc Strabo Geogr. lib. XVI. ob plurima baphia aerem Tyri graviorem affirmat. πολυ γαρ διηταττα πασων η τυρια καλλιστη πορφυρα . . . και δυσδιαγωγον μεν ποιει την πολιν η πολυπληθια των βαφεων. *Tyria enim purpura optima omnium perbibetur . . . Maxima huiuſmodi officinarum multitudo urbem reddit paullo graviorem.*

Denique Martialis ipſe lib. IV. epigr. IV. purpurarum foetorem etiam graveolentiorum corporum paedori comparat. En totum ipſum Epigramma:

Quod ſiccae redolet palus lacunae,
Crudarum nebulae quod Albularum,
Piſcinae vetus aura quod marinae,
Quod preſſa piger hircus in capella,
Laſſi bardaicus quod evocati,
Quod bis murice vellus inquinatum,
Quod ieiunia Sabbatariorum,
Maeſtorum quod anhelitus reorum,
Quod ſpurcae moriens lucerna Ledae,
Quod ceromata faece de Sabina,
Quod vulpis fuga, viperae cubile,
Mallem, quam, quod oles, olere, Baſſa.

Hinc Caſſiodori temporibus, ut ipſe ait lib. I. epiſt. II., conchae iſtae non iam ſtatim ac occiſae fuiſſent, ut Ariſtotelis, & Plinii tempore uſuveniebat, ſed ſex fere poſt menſibus, quam intreiiſſent, (& certe quam coctae fuiſſent,) ad tincturam vocabantur, idque adeo, ut teter ille piſculentus odor, quem diximus, interea evaneſceret, nec in purpureas veſtes tranſiret. *Mirum eſt. ſubſtantiam illam morte confectam cruorem de ſe poſt ſpatia tam longi temporis exſudare, qui vix ſolet vivis corporibus vulnere ſauciatis effluere. Nam cum ſex pene menſibus marinae delitiae a vitali fuerint vigore ſeparatae, ſagacibus naribus neſciunt eſſe graviſſimae, ſcilicet ne ſanguis ille nobilis aliquid ſpiraret horroris.* Hinc ab antiquis omnino tollendus erat hic foetor odoratis aromatibus, quibus aromatibus purpuream lanam ante perfunderent, quam eam nerent, texerent, aut in veſtes induecerent. Et haec profecto cauſſa erat, qua odoratae purpurae omnes ob antiquis geſtarentur. Martialis lib. IX. epigr. LXIII.:

Tinctis murice veſtibus quod omni
Et nocte utitur, & die Philenis,
Non eſt ambitioſa, nec ſuperba,
Delectatur odore, non colore.

Enarrabimus cap. XXIX. iam pridem in ſepulcro prope Romam purpureas veſtes aromatum plurimo odore adhuc fragrantes, quae idipſum confirment, fuiſſe repertas.

Nomen

Nomen *Purpurarius* in inſcriptionibus antiquis apud Gruterum, alioſque inſcriptionum collectores legitur. Caelius Rhodiginus lib. VIII. cap. XI. purpurarum piſcatores hos Purpurarios fuiſſe contendit. Eques vero Orſatius Marmorum eruditorum part. II. inſcriptionem adfert, in qua nomen *Purpurarius* legitur, & fidem facit, in marmore inſcriptionis ampullam quamdam, & lancem prominentes videri, illam nimirum tamquam purpureum ſuccum excoctum, & diffuſum continentem, iſtam vero iam purpura tinctam lanam ad vendendum appendentem. Igitur Purpurarius non purpurarum captor, aut piſcator, ſed infector fuit. Confirmat rem Iulius Pollux. Onomaſtici lib. V. cap. XXXIII.: Ο δε καταβαπτων αυτα πορφυροβαφος. *Qui vero haec tingit, purpurarius* (vocatur). Nec non Aelianus de natura anim. lib. XVI. cap. I.: Ανηρ πορφυρευς οταν θηρατι πορφυρας, ουκ εις ανθρωπων τροφην. αλλ' εις εριον βαφην. *Purpurarius, ſi poſtquam purpuram non in hominum cibum, ſed ad tingendas lanas comprehenderit.* Immo compertum eſt, piſcatores purpurarum non Purpurarios, ſed Murilegulos fuiſſe vocatos. Adeſt in Codice Iuſtinianeo Titulus VII. libri XI. de Murilegulis, & Gynaeciariis, quem cap. LVI. deſcribemus.

C A P U T XXVII.

De mutatione verſicolori colorum purpureorum.

PUrpurae ita fucatae quatuor ſummis dotibus excelluere, quae cuivis facile admirationem iniiciant. Harum prima color quidam verſicolor fuit, quem nos Itali *cangiante* appellamus.

Anno DXXXVII. ab urbe condita, Q. Fabio, T. Sempronio Coss., ardente ſecundo Punico bello lex Oppia lata eſt, cujus haec erat ſententia iuxta T. Livium lib. XXXIV. cap. I.: *Ne qua mulier plus ſemuncia auri haberet, neu veſtimento verſicolori uteretur.*

Duabus apud Latinos ſignificationibus vox *verſicolor* gaudebat. Apud poſteriores Latinos veſtis verſicoloria eam veſtem ſignificabat, quae album ſuum naturalem colorem in quemcumque ſive conchyliis, ſive herbis factum colorem mutaſſet, quemadmodum colorea veſtis eam ſignificabat, quae album naturalem colorem ſuum adhuc ſervabat. Haec ſignificatio apud Iuriſconſultos maxime reperitur, & praeſertim apud I. C. Ulpianum in L. LXX. §. de verſicoloribus tit. III. de Legatis, & apud I. C. Paullum in L. LXXVIII. §. Coccum, eodem tit. de Legatis. Sed apud antiquiores Latinos vox *verſicolor* procul dubio eam veſtem tantum ſignificabat, quae colore illo vario, & inſtabili ornabatur, quem nos *cangiante* appellamus. Plinius lib. XXVIII. cap. VIII. de Chamaellonte loquens, qui ſemper colorem mutare putatur: *Nullum animal pavidius exiſtimatur, & ideo verſicoloris mutationis*. Idem Plinius lib. IX. cap. XVII. agens de mullo piſce. *Mullum expirantem verſicolori quadam, & numeroſa varietate ſpectari*. Cicero Finium lib. III. de pavonum, & columbarum pennis verſicoloribus: *Ut pennae pavoni, ut plumae verſicolores columbis*. Tertullianus cap. III. de Pallio, de iiſdem pavonibus verba faciens: *Omni ſyrmate ſolutior, qua caudae iacent, multicolor, & diſcolor, & verſicolor, toties mutanda, quoties movenda*. Quintilianus metaphorice in procemio lib. VIII.: *Illa translucida, & verſicolor quorumdam elocutio*. Virgilius Aeneidos lib. X. de politis armis vario colore fulgentibus dicens:

Aſtur

Aſtur equo fidens, & verſicoloribus armis.

Denique idem Sidonius Apollinaris lib. I. epiſt. X., licet aetatis longe poſterioris, agens de irroratarum herbarum iride:

Aut ſub verſicoloribus figuris
Vernans herbida cruſta ſapphiratos
Flectit per praſinum vitrum lapillos.

Antiquiſſima vero aetas legis Oppiae cauſſam dicit, eamdem legem procul dubio ita protuliſſe vocem hanc *verſicolor*, ut colorem varium, & mutabilem oſtendat. Obſervandum deinde per hanc legem non herbaceas, ſed purpureas tantum veſtes fuiſſe vetitas. Apparet enim primo legem Oppiam latam, ut domeſticis ſumptibus ſublatis viri aptiores eſſent ad iuvandam pecunia rempublicam, quae rebus omnibus tunc indigebat. Livius eodem loco: *Appa ret ob inopiam, & miſeriam civitatis, quia omnium privatorum pecuniae in uſum publicum vertendae erant, iſtam legem ſcriptam.* Verum haec domeſticorum ſumptuum diminutio haberi quidem potuiſſet, ſi purpurae fuiſſent vetitae, quae immenſo venibant, uti cap. XLVIII. videbimus, non vero ſi colores herbacei vetiti fuiſſent, qui minimi emebantur, uti cap. L. demonſtrabimus. Sed immo conceptis verbis ipſe Livius purpuram tantum nomine verſicolorium veſtimentorum a lege Oppia vetitam affirmat. Ita enim ille Catonem inducit in legem dicentem: *Quid honeſtum dictu ſaltem ſeditioni praetenditur muliebri? Ut auro, & purpura fulgeamus, inquiunt.* Ita deinde inducit Tribunum Valerium pro lege loquentem: *Purpura viri utemur .... feminis dumtaxat purpurae uſum interdicemus?* Si igitur lex Oppia & purpureos, & herbaceos colores vetuiſſet, vox ejuſdem *verſi color* omnem factitium colorem procul dubio ſignificaret. Sed cum lex Oppia unos purpureos colores vetuerit, hac etiam ratione eiuſdem vox *verſicolor* varium, & mutabilem colorem purpurarum ſignificat, & oſtendit.

Et profecto res ita eſt. Antiquae purpurae non ſemper ſuos plurimos, quos diximus, colores oſtentabant, ſed immo totae nigrae e conſpectu, ſive contra ſpectatae, ſuos illos optimos colores violaceos, rubidos, caeruleos, flavos, alioſque ſive ſimplices, ſive mixtos, quos enarravimus, tunc tantum aperiebant, cum illae ſuſpicerentur, cum nempe ex imo ad ſummum, aut aliis huiuſmodi ſtatibus aſpicerentur, id quod in verſicoloribus omnibus uſuvenire conſuevit. Plinius lib. XXXVII. cap. IX. genus quoddam amethyſtorum damnat, quod ſuſpectu colorem violaceum non oſtenderet, quemadmodum in purpureis coloribus uſuveniſſe adfirmat: *Quintum (genus amethyſtorum) ad viciniam cryſtalli deſcendit albicante purpurae deiectu. Hoc & minime probatur, quando praecellens debet eſſe in ſuſpectu velut ex carbunculo refulgens quidam in purpura leviter roſeus nitor.* Idem Plinius lib. IX. cap. XXXVI. clarius dicit, purpuram rubidam Tyriam fuiſſe nigram aſpectu, & tantum ſuſpectu rubidam, ideſt cum ex imo ad ſummum ſpectaretur: *Color ſanguinis concreti nigricans aſpectu, idemque ſuſpectu refulgens.* Seneca Naturalium Quaeſt. lib. I. cap. V. poſtquam colores Iridis caeleſtis affirmavit omnes verſicolores eſſe, (quod quibuſdam reflexionis angulis aſpiciantur, quibuſdam vero evaneſcant) ſtatim eoſdem Iridis colores purpureis coloribus aequiparat, qui quoque, ut ipſe ait, extolli, & ſuſpendi, nimirum in angulo ipſius reflexionis radiorum collocari debent, alio omni ſtatu evaneſcentes: *Sunt etiam quidam colores, qui ex intervallo vim ſuam extendunt. Purpuram Tyriam, quo melior, ſaturiorque eſt, eo oportet altius teneas, ut fulgorem ſuum oſtendat.*

dat. Non tamen ideo non habet illa colorem, quia quem optimum habet, non quomodocumque explicetur, oſtendit. Macrobius Saturnal. lib. II. narrat, querenti Auguſto obſcuritatem purpurae Tyriae venditorem dixiſſe, extolli, & ſuſpici eam oportuiſſe, ut color eius optimus rubidus videretur, eique ita multo ſale reſpondiſſe Auguſtum ipſum: *Cum de Tyriae purpurae, quam emi iuſſerat* (Auguſtus) *obſcuritate quereretur, dicente venditore: erige altius, & ſuſpice: his ſalibus uſus eſt. Quid ergo? Ut populus Romanus dicat me bene cultum, in ſolario ambulaturus ſum?* Hic vero animadvertiſſe liceat, hunc artificem, qui purpuram nigriorem Auguſto vendidit, illum fortaſſe Cn. Hiaium Doryphorum fuiſſe, qui purpurarius Auguſti nominatur in hac inſcriptione apud Muratorium pag. DCCCCIII. n. VIII. Cn. HIAIVS. DORYPHORVS. PVRPVRARIVS AVGVSTI. Plinium quoque dixiſſe vidimus in lib. IX. cap. XXXVI. de Tyria purpura loquentem: *Nigrantis roſae color ſublucens*; & Virgilium Georgicon lib. IV. deſcribentem amelli florem: *Violae ſublucet purpura nigrae*. Haec autem Virgilii, & Plinii verba *ſublucet*, & *ſublucens*, aliaque ſimilia plurimorum ſcriptorum verba, quae paſſim occurrunt, liquidiſſime etiam demonſtrare videntur, flavos, caeruleos, rubidos, violaceos, aliosque purpureos, quos diximus, colores non ſemper apparuiſſe, ſed tantum inter quamdam obſcuram nigritiem, iuxta varios veſtis ſtatus idemtidem effulſiſſe, uti in verſicoloribus omnibus contingit. Erant igitur purpurae omnes verſicolores, ideſt nigrae aſpectu, ſuſpectu vero, aut tranſverſo conſpectu vel violaceae, vel rubidae, vel caeruleae, vel flavae, vel alio ex relatis coloribus donatae apparebant, uti quoque caeleſtis Iris, herbarum iris, arma polita, columbarum, & pavonum plumae, nigrae quoque aſpectu ſunt, ſuſpectu vero, aut deſpectu, aut tranſverſo conſpectu, nimirum propriis reflexorum radiorum angulis conſtitutae, iiſdem flavis, caeruleis, rubidis, violaceis coloribus ſtatim laetiſſimae apparent, uti cuique eſt notiſſimum.

CAPUT XXVIII.

De ſplendore colorum purpureorum.

PUrpurarum colores nedum erant varii, aut verſicolores, ſed etiam ignei, ſplendentes, & ſcintillantes, quae ſecunda erat eorum dos. Iam primum enim verſicolores omnes colores ſemper lucere, & coruſcare quiſque novit. Audivimus deinde Plinium lib. XXXVII. cap. IX. deſcribentem purpuram violaceam ſimillimam amethyſtis, & proinde earumdem amethyſtorum vivido fulgore donatam: *Principatum amethyſti Indicae tenent... Cauſſam nominis afferunt, quod uſque ad vini colorem accedens, priusquam eum deguſtet, in violam deſinat, fulgorque quidam in illa ſit purpurae, non ex toto igneus, ſed in vini colorem deficiens. Indicae abſolutum felicis purpurae colorem habent.* Immo obſervandum, eodem loco Plinium aſſeverare, fulgorem purpurarum ex toto fuiſſe igneum, eumque igneum purpurae fulgorem in amethyſtis Indicis integrum effulſiſſe, in ceteris fuiſſe deſideratum: *Fulgorque quidam in illa ſit purpurae, non ex toto igneus..... Indicae abſolutum felicis purpurae colorem habent.*

Vidimus quoque eumdem Plinium lib. XXXVII. cap. IX. genus quoddam amethyſtorum damnantem, quod illis non eſſet fulgor ille purpureus, qui fulgori vividiſſimi carbunculi ſimilis eſſe conſuevit: *Quintum* (amethyſtorum genus) *ad vici-*

viciniam cryſtalli deſcendis, albicante purpurae deiectu. Hoc & minime probatur, quando praecellens debet eſſe in ſuſpectu velut ex carbunculo refulgens quidam in purpura leviter roſeus nitor. Claudianus in IV. Honorii Conſulatum non ſolum flammas arcanas purpurae amethyſtinae, & caeruleae nuncupat, quaſi purpuras violaceas, & caeruleas non minus verſicolores, quam coruſcantes more flammae diceret, ſed etiam eumdem igneum ſplendorem eſſe affirmat tam Sidoniis purpuris, quam gemmis Rubri, aut Indici maris:

Amethyſtus ineſt, & fulgor Iberus
Temperat arcanis hyacinthi caerula flammis.
Quis iunxit lapides oſtro, quis miſcuit ignes
Sidonii, Rubrique maris?

Verba quoque *fulgor*, *nitor*, *ſplendor*, *ardor purpurae*, *purpura fulgens*, *nitens*, *ſplendens*, *ardens*, quibus ſemper antiqui ſcriptores ad purpuram indigitandam utuntur, quaeque verba ubique in eorum libris proſtant, veriſſimam hanc, quam dicimus, purpureorum colorum ſcintillationem, & coruſcationem aequo modo clariſſime oſtendunt. Hinc etiam Ovidius Faſtorum lib. VI. purpureorum colorum ſplendorem almae lucis ardori comparat:

Laetaque purpurea luce refulſit humus.

Nec non Catullus in Epithalamio Pelei, & Thetidis:

Purpureaque procul nantes a luce refulgent.

Hinc etiam Horatius ode II. lib. III. purpurae nitorem ipſorum ſiderum ardentiſſimae ſcintillationi anteponit:

Nec purpurarum ſidere clarior
Delenit uſus.

Si autem hae purpurae, uti flammae, gemmae, & ſidera etiam in umbra coruſcabant, facile cuivis eſt intellectu, quot innumerabilibus radiis fulgentiſſimae iſtae purpurae ad ſolem poſitae emicarent, & uti ſol ipſe arderent. Id confirmat Claudianus in IV. Honorii Conſulatum:

Veſtis radiato murice ſolem
Combibit.

Nonnus etiam Dionyſ. XL. v. CCCIX. ſcintillas maris, & humidum ignem purpuras vocat, ut flammeam illam ſcintillationem, qua fulgerent, vividiſſime exprimeret. Sic inquit:

Και Τυριης σκοπιαζε δεδευμενα φαρεα κοχλω,
Πορφυρεους σπινθηρας αποτιζοντα θαλασσης,
Ηχι κυων αλιεργος επ' αιγιαλλοισιν ερεπτων
Ενδομυχον χαροπηισι γενειασι θεσπελον ιχθυν,
Χιονεας μορφυρε παρηιδας αιματι κοχλου,
Χειλεα φοινιξας διερω πυρι,
Et Tyria conſpexit tincta veſtimenta concha
Purpureas ſcintillas eiaculantia maris,
Ubi canis in mari laborans in littore comedens
Intus latentem fulvis maxillis divinum piſcem
Niveas purpurabat genas ſanguine conchae
Labia cruentans humido igne.

Et vividius Iulius Pollux Onomaſtici lib. I. cap. IV.: Χαιρει δε ηλιω ομιλουσα της πορφυρας βαφη. και η ακτις αυτην αναπυρσευει, και πλειω ποιει και

 φαιδ

φαιδροτεραν την αυγην, εκφοινισσομενην εκ του ανω πυρος. *Sole autem gaudet purpurae tinctura. Et lux eam inflammat, ſplendoremque eius reddit pleniorem, ſplendidiorem, & caeleſti igne coruſcantem.*

Primis huiuſce libri capitibus iam ſatis a nobis demonſtratum eſt, purpuram violaceam violae, rubidam ſanguini concreto, caeruleam ſaturam hyacintho, caeruleam dilutam flori malvaceo, flavam calthae, aliaſque purpuras aliis hujuſmodi floribus, & corporibus fuiſſe ſimiles. Ea tamen coloris tantum, non vero ſplendoris ſimilitudo fuit exiſtimanda. Illi enim flores, & corpora colores fixos, conſtantes, & inertes tantum oſtendunt. Purpurae autem colores eoſdem vividiſſimos, & fere radiantes gerebant. Tanto igitur purpurae floribus, & corporibus ipſis praeſtiterunt, licet colore ſimiles, quanto colores naturae verſicolores, vividi, & ſcintillantes iiſdem naturae coloribus fixis, conſtantibus, & inertibus antecellere conſpiciuntur. Erant igitur purpurei colores non tantum verſicolores, & varii, ſed etiam coruſcantes, & ardentes, quemadmodum colores Iridis caeleſtis, iridis herbarum, armorum politorum, columbarum, & pavonum, ignitae flammae, gemmarum coruſcantium, ſtellarum, & ſcintillantiſſimi ſolis ipſius, qui coruſcantes colores procul dubio purpureorum colorum, de quibus loquimur, vividiſſimae, & unicuique adhuc ſpectabiles, & admirandae imagines certiſſime ſunt habendae.

CAPUT XXIX.

De immortalitate colorum purpureorum.

Tertia purpureorum colorum dos erat immortalitas. Et profecto ſal, oleum, & bitumen marinum, quibus madent conchylia, & corpora maritima omnia, diuturnitatem, & tenacitatem quamdam fere indelebilem coloribus purpureis praebere debuerunt. Caſſiodorus lib. I. epiſt. II. autumat prius veſtes, quam veſtium ipſarum purpureos colores conſumi conſueviſſe: *Haec cum infecta ſemel ſubſtantia perſeverat, & neſcit ante ſubtrahi, quam veſtis poſſit abſumi.* Priſcus Philoſophus Lucretius lib. VI. de doctrina noſtrorum hominum circa corporum attractionem loquens, valida cohaeſione picis, glutinum, & calcis arena mixtae enarrata, ſtatim tenaciſſimam colorum purpureorum cohaeſionem addit, qui purpurei colores ea vi, ut ipſe ait, lanae commiſcebantur, & adhaerebant, ut infinitae omnes maris aquae ad eoſdem colores vel delendos, vel ſaltem minuendos nullo modo ſuppetere potuiſſent:

Purpureuſque colos conchylii iungitur una
Corpore cum lanae, dirimi qui non queat uſquam,
Non ſi Neptuni fluctu renovare operam des,
Non mare ſi totum velit eluere omnibus undis.

Refert Appianus Alexandrinus in libro de bello Mithridatico triumphaſſe Pompeium de Mithridate, chlamyde Alexandri magni indutum, ut aiebant: Αυτος δε ο Πομπηιος επι αρματος ην, και τουδε λιθοκολλητου, Χλαμυδα εχων, ως φασιν, Αλεξανδρου του Μακεδονος. *Pompeius ipſe curru vehebatur gemmis, auroque ſplendens, chlamyde, ut aiunt, Alexandri Macedonis indutus.* Audivimus Plutarchum in eiuſdem Alexandri magni Vita referentem, hunc Regem Suſis occupatis ibi reperiſſe immenſam purpurarum vim, quae recentiſſimae viderentur,

licet

licet biſcentum prius annis ibi repoſitae fuiſſent: Οπου φατι και πορφυρας Ερμιονικης ευρεθηναι ταλαντα πεντακισχιλια, συγκειμενης μεν εξ ετων δεκα δεοντων διακοσιον, προσφατον και το ανθος ετι και νεαρον φυλαττουσης. *Ubi aiunt, reperta fuiſſe quinque millia talenta purpurae Hermionices ante annos* CXC. *ibi repoſitae, & florem, ac colorem recentem adhuc ſervantis*. Narrat Plinius lib. VIII. cap. XLVIII., praetextam purpuream, qua Servius Tullus ſignum Fortunae ornaverat, duraſſe DLX. annis uſque ad mortem Seiani, qui Tiberii celeberrimus miniſter fuit, eoque longiſſimo temporis ſpatio nec purpureum illius veſtis colorem ullo modo dilapſum eſſe, nec ullum teredinum damnum ſubiſſe, quibus teredinibus fortaſſe marinum ipſum ſal, oleum, & bitumen inimicum eſſet: *Servii Tullii praetextae, quibus ſignum Fortunae ab eo dicatae coopertum erat, duravere ad Seiani exitum; mirumque fuit, nec defluxiſſe eas, nec teredinum iniurias ſenſiſſe annis* DLX. Refert Pignorius in ſuis annotationibus ad librum Cartarii de imaginibus Deorum, anno MDCVI. prope Romam monumentum quoddam detectum, quod Attilii Calatini fuiſſe tunc temporis eſt creditum, & in eo duas veſtes laneam, & ſericam purpureo colore infectas repertas fuiſſe. Reliquiae harum veſtium purpurearum ſervantur adhuc Romae in Muſeo Collegii Romani, & Piſauri in Muſeo CL. Equitis Annibalis ex Abbatibus Oliverii Iordanii, quem libens volens honoris cauſſa nomino. Pallidulus erat harum veſtium color, ſimilisque colori foliorum aridorum, quem colorem procul dubio tot ſaeculorum aetas, ipſiuſque humecti ſepulcri ſitus produxerat. Veſtis lanea quibuſdam purpureis latis faſciis, ſive taeniis diſtinctas habebat oras, & proinde toga praetexta erat, uti cap. XLI. videbimus. Color vero purpureus ſimilis erat colori lapidis porphyritis, & proinde rubidus Tyrius erat, uti cap. V. demonſtravimus. Incipit Pignorius ipſe: *L'anno 1608., il meſe di febbraio lavorandoſi una vigna de' Signori Lani fuor della porta detta di S. Sebaſtiano vicino a capo di bove.....s'è ſcoperto un pilo antico coperto, di lavoro ſchietto, ma bene inteſo, e ſenza memoria alcuna. Si trovò in eſſo un panno ben conſervato di finiſſima lana, ed un veſtito ſerico, ambedue di quel colore, che moſtra la foglia ſecca, e tiravano al ferrugineo, come dicono i Latini*, (hic Pignorius ferrugineum perperam intelligit colorem rubiginoſum, qui fere ſimilis ſit aridorum foliorum colori, quemadmodum cap. III. obſervavimus,) *con certe ſtriſce larghe nel panno di lana, che erano di colore purpureo, ed odoravano molto ambidue queſti veſtiti di odore, che teneva dell' aromato.* (Hinc allatis minutis aliquot rationibus, ut illud Attilii Calatini ſepulcrum fuiſſe fidem faciat, addit:) *Il panno, che io ſtimo, che foſſe clamide* (toga praetextà potius: praetextis enim Romae, chlamydibus militiae tantum Romani utebantur) *molto ricco, e copioſo di roba.....Il colore di detto panno io non dubito, che foſſe di porpora nell' eſtremità, poichè ſe ne vede ancora il ſegno. Nè era la porpora di un ſol colore, come alcuni s'immaginano; poichè ſcrive Vitruvio, che ſe ne trovava di tirante al nero, di roſſa, e di violacea.....Queſta noſtra ſarà dell' altra, del color del porfido, che dalla purpura s'è pure buſcato il nome di porfirite.* Hinc Tyria purpura fuit, quae rubido colore uti lapis porphyrites gaudebat, quemadmodum cap. V. animadvertimus.

CAP.

CAPUT XXX.

De mollitie colorum purpureorum.

TEnerrima mollities quarta dos erat, qua purpurae antiquae celebrabantur, ab eodem ſale, oleo, & bitumine marino forte & ipſa profecta. Juvenalis Sat. XII.:

veſtem
Purpuream, teneris quoque Maecenatibus aptam.
Tibullus lib. IV. eleg. IV.
Mollia caris
Vellera det ſuccis bis madefacta Tyros.

Vopiſcus in Vita Carini: *Iam quid lineas petitas Aegypto loquar? Quid Tyro, & Sidone tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles?* Lampridius in Alexandri Vita hunc optimum Imperatorem refert veſtibus lineis puris non auro, non purpura diſtinctis indui ſolitum, cauſſamque huius rei interferentem, aurum rigidas efficere veſtes, a mollitie vero lini purpurarum mollitiem ſatis rependi: *Boni linteaminis appetitor fuit, & quidem puri dicens: Si lintei iccirco ſunt, ut nihil aſperum habeant, quid opus eſt purpura? In lintea autem aurum mitti etiam dementiam iudicabat, quum aſperitati adderetur rigor.* Haſce auctoritates experientia ſequatur. Veſtes purpureas in relato prope Romam monumento repertas inuſitata mollitie inſignes teſtatur Pignorius ipſe, ut ſuperiore capite audivimus, & reliquiae, quae Romae, & Piſauri ſunt, uti eodem capite diximus, eamdem mollitiem confirmant.

Si quatuor, quas memoravimus, antiquarum purpurarum dotes etiam aetate hac noſtra mirabiles eſſe poſſent, qua certe aetate tot eximiis dotibus ornatum artificium nullum reperitur, multo magis tertia, & quarta dos, nimirum coloris immortalitas, & veſtis mollities celebranda fuit ab antiquis, utpote qui lineis fere non utentes, laneiſque veſtibus tantum corpora circumdantes, eas ſaepius inquinare, & hinc aſſiduis loturis apud fullones eas ſubiicere cogebantur. Quare antiqui populi vel laneas veſtes ferre conſuevere naturali albo colore donatas, qui numquam loturis dilabitur, vel purpureis coloribus infectas, qui etiam nullis umquam loturis evaneſcebant, uti eſt demonſtratum.

CAPUT XXXI.

De materia veſtium purpurearum.

CUm antiqui homines ex quatuor materiis diſtinctis veſtes ſibi conſtruerent, nimirum lana, ſerico, lino, bombycino iuxta Ulpianum in lib. XXIII. de auro, & argento legato: *Veſtimentorum ſunt omnia lanea, lineaque, vel ſerica, vel bombycina*; hinc eadem omnia veſtium genera purpureis coloribus procul dubio infecerunt.

Lana ſecundum pelles antiquior veſtium materies, fucata profecto fuit coloribus purpureis ab antiquis. Res in comperto eſt, & teſtimonia fere omnia veterum id probant, quae per hunc librum relata proſtant.

Sericum antiquis temporibus apud populos Seres tantum excultum, qui in-

ter

Digitized by Google

ter Sinas, &I ndiam incolebant, Alexandri magni victoriae Graeciae tradidere, & victoriae Aſiaticae Romanorum tradidere Italiae. Pari pondere auri id nobile filum a Graecis Latini, a Perſis Graeci, & ab Indis, & Seribus Perſae comparabant, quouſque Iuſtinianus Imperator ova ipſa ſericarum erucarum ab Indis in Graeciam traduci curavit, uti eſt notiſſimum. Statim vero antiqui noſtri homines purpureis coloribus ſericum ipſum nobilitavere, ſummo pretio purpurarum ſummum ſerici pretium cumulantes. Pauca veterum teſtimonia, quae probent, ſericum quoque purpureum fuiſſe, afferimus, aliis omiſſis. Seneca Hippolyti Act. II. Scen. I.:

Removete famulae purpura, atque auro illitas
Veſtes, procul ſit Tyrii muricis rubor,
Quae fila ramis ultimi Seres legunt.

Martialis lib. III. epigr. LXXXII.

Effultus oſtro, ſericiſque pulvinis.

Claudianus in IV. Honorii Conſulatum:

tribuere colorem
Phoenices, Seres ſubtegmina, pondus Hydaſpes.

Boethius de Conſol. Philoſophiae lib. II. metr. V.:

Non lucida vellera Serum
Tyrio miſcere veneno.

Sidonius Apollinaris Carm. XV.

cuius bis coctus aheno
Serica Sidonius fucabat ſtamina murex.

D. Paullinus Poem. XXII.:

Iſaias rigida cingendas veſte minatur,
Quae modo purpureis ſerica mixta gerunt:

Vopiſcus in Aureliani Vita: *Quum ab eo uxor ſua peteret, ut unico pallio blatteo ſerico uteretur*. Lex I. Lib. IV. tit. XL. in Iuſtinianeo Codice: *Fucandae, atque diſtrahendae purpurae vel in ſerico, vel in lana.*

Linum & ipſum antiquiſſimam veſtium materiem rarius purpureis maduiſſe coloribus reperimus. Cleopatram legimus tantum famoſam Aegypti Reginam per notiſſimam luxuriem purpureis decoraſſe coloribus linea vela ſuae navis praetoriae in celebri apud Actium pugna, & Romanos purpureis coloribus fucaſſe tantum ampliſſima linea vela, quibus theatra, & amphitheatra ad arcendum ſolem, & pluviam obtegerent, quaeque vela, & ſcenam, & arenam, & ſpectatores, & totum illud maximum concilium purpureo colore floridiſſime inficerent, & inflammarent. Duobus hiſce caſibus exceptis, antiquos legimus lineorum magis candore, quam purpureo colore eſſe delectatos. Plinius lib. XIX. cap. I.: *Tentatum eſt tingi linum quoque, & veſtium inſaniam accipere... Velo purpureo ad Actium cum M. Antonio Cleopatra venit, eodemque effugit. Hoc fuit imperatoriae navis inſigne. Poſtea in theatris tantum umbram fecere, quod primus omnium invenit Q. Catulus, cum Capitolium dedicaret. Carbaſina deinde vela primus in theatro duxiſſe traditur Lentulus Spinther Apollinaribus ludis. Mox Caeſar Dictator totum forum Romanum intexit, viamque ſacram a domo ſua ad clivum uſque Capitolinum, quod munere ipſo gladiatorio mirabilius viſum tradunt... Vela nuper colore caeli ſtellata per rudentes, terra etiam in amphitheatris principis Neronis rubente.... Cetero manſit candori pertinax gratia*. Plutarchus in Vita Antonii refert

pariter

pariter de Cleopatra, ipſam velis purpureis inſtruxiſſe navim, qua primum ad ipſum Antonium, a quo multis litteris evocata fuerat, contendit: Ου ουτω κατεφρονητε, και κατεγελατε τυ ανδρος, ωστε πλειν ανα τον Κυδνον ποταμον εν πορθμιω χρυσοπρυμνω, των μεν ιστιων αλουργων εκπεπετασμενων, της δ' ειρεσιας αργυραις κωπαις αναφερομενης προς αυλον αμα συριγξι, και κιθαραις συνηρμοσμενης. *Adeo Antonium ludibrio, riſuique habuit, ut Cydno amne ſubveheretur lembo, cuius aurea puppis erat, velis paſſis purpureis, remis argenteis, qui ad tibiarum, fiſtularum, cithararumque ſonum concinne agerentur*. Lucretius lib. IV. de natura rerum:

Et volgo faciunt id lutea, ruſſaque vela,
Et ferrugina, cum magnis intenta theatris,
Per malos volgata, trabeiſque trementia flutant.
Namque ibi conſeſſum caveai ſubter, & omnem
Scenai ſpeciem, patrum, matrumque, deorumque
Inficiunt, coguntque ſuo fluitare colore.
Et quanto circum mage ſunt incluſa theatri
Moenia, tam magis haec intus perfuſa lepore
Omnia conrident conrepta luce diei.

Contra ea byſſus ſubtillimum lini Aegyptii genus prae ceteris lineis veſtibus purpura tingi conſuevit. Fortunatus lib. VII. poem. III.:

Veſte ſuperpoſita bis cocto purpura byſſo,

Idem lib. II.

Alter palmatae, trabeae nitet alter honore,
Pingit & ornatum gemma, aurum, purpura, byſſus:

Salomon in Proverb. cap. XXXI.: *Purpura, & byſſus indumentum eius*. B. Lucas cap. XVI. v. XIX. *Induebatur* (Epulo) *purpura, & byſſo*.

Bombycinum tandem erat ſerici genus, quod in Arabia, Aſſyria, & Inſula Coo a vermibus educebatur, qui longe a ſericis erucis differebant iuxta Ariſtotelem lib. V. cap. XIX. de hiſtor. anim., Plinium lib. XI. cap. XXII. XXIII., Iſidorum lib. XIX. cap. XXII., & antiquum Iuvenalis Scholiaſten ad verſ. CCLX. Sat. VI. Hoc vero bombycinum, utpote dotibus inferioribus donatum, ſerici poſtea ceſſit mollitiei non minus, quam ſubtilitati, & diuturnitati, penituſque in deſuetudinem abiit, cum ſericum ipſum Iuſtiniani temporibus allatis ſericis erucis ubique in Graecia vulgatum eſt. Tum vero bombycinum vulgi errore ad illud lini genus tranſiit ſignificandum, quod nunc *cotone*, *bambace*, *bambagia* appellamus, nomine ſatis aperte ex Latino verbo *bombycinum* contorto. Veri autem ſimile eſt, Coas veſtes ſua ſubtilitate, & pelluciditate celebres, quae ex bombycino ibi producto componerentur, purpura etiam infectas fuiſſe. Horatius lib. IV. Ode XIII.

Nec Coae referunt iam tibi purpurae,
Nec clari lapides tempora.

Iuvenalis Sat. VIII.:

Spartana chlamys, conchylia Coa.

CA-

CAPUT XXXII.

De diſcrimine veſtium purpurearum.

ANtiqui homines principes veſtibus totis purpureis per ſummam luxuriem induebantur. Achilles Tatius lib. II. de Clitophontis, & Leucippes amoribus: *Εωνητο δε η κορη τα προς την γαμον περιδεραιον μεν λιθων ποικιλων, εσθητα δε το παν μεν πορφυραν. Emebat vero puella ad nuptias monile ex variis gemmis, veſtem vero totam purpuream.* Etiam Commodus Imperator, uti ait Dion lib. XVIII. induebatur *χιτωνα ολοπορφυρον tunicam totam purpuream.* Circa huiuſmodi veſtem quoque Alexandrum magnum ſolitum irridere Antipatrum accipimus a Plutarcho in eius Vita: *Αντιπατρος τα ενδον ολοπορφυρος. Antipater in interiori parte totus eſt purpureus.* Stephanus III. in epiſtola ad Alduinum tom. V. Conciliorum generalium B. Dionyſium refert ſe vidiſſe indutum *pallio toto purpureo.*

Plurimi vero ſatis eſſe ducebant, ſi veſtes naturali albo colore donatas nonnullis tantum taeniis, faſciis, vittis, aut inſtitis purpureis ornarent, quas taenias nos Itali *galloni, o guernizioni* vocamus, iiſque taeniis ſive per medias veſtes, ſive circa veſtium oras ductis. Septuaginta Interpretes in cap. III. Iſaiae: *Και τα περιπορφυρα, και τα μεσοπορφυρα. Veſtes purpura ornatas, ſive circa oras, ſive circa medium.* Et Baſilius ad eumdem locum: *Τον εν τη εσθητι κοσμον των καλλωπιζομενων γυναικων, ως περιεργον διαβαλλει πορφυραν ποτε μεν κατα τα ακρα παρυφαινοντων, ποτε δε κατα το μεσον αυτην εντιθεντων, Ornatum mulierum, quo gloriam captant, tamquam ſuperfluum perſtringit; nam aut veſtium oris attexebant purpuram, aut eam parti mediae immittebant.*

CAPUT XXXIII.

De clavis purpureis.

TAeniae autem iſtae aut vittae purpureae per medias veſtes ductae clavi a Latinis dicebantur, quod fere longi clavi viderentur. Horatius lib. I. Sat. IV.

& latum demiſit pectore clavum.

Quem locum ita Acron interpretatur: *Demiſit pectore, ideſt media parte corporis.* B. Hieronymus lib. II. Comment. in Iſaiam ita memoratum locum Iſaiae ipſius interpretatur: *Pro faſcia pectorali, quam interpretatus eſt Symmachus, ſeptuaginta tunicam μεσοπορφυραν, ideſt clavatam purpura tranſtulerunt.*

Hi autem clavi, ſive taeniae, aut vittae, aut faſciae purpureae per medias veſtes ductae, eaedem erant, quae adhuc deſcendentes viſuntur ante pectus, & poſt tergum a ſummo ad imum in mediis dalmaticis, ſive colobiis, & penulis, ſive planetis, quibus noſtri Sacerdotes ſacra facturi utuntur. Etymologicum lib. XIX. cap. XXII: *Dalmatica veſtis primum in Dalmatia provincia Graeciae texta eſt, tunica ſacerdotalis candida cum clavis ex purpura.* Rabanus Maurus lib. Inſtit. Cleric. cap. XIX. *Haec veſtis* (dalmatica) *in modum crucis eſt facta, & paſſionis Domini indicium eſt. Habet quoque & purpureos tramites ipſa tunica a ſummo uſque ad ima ante & retro deſcendentes, nec non per utramque manicam.* Abdias in Hiſt. Apoſtolica lib. IX. de B. Bartholomaeo loquens: *Veſtitur colobio albo clava-*

clavato purpura. Stephanus III. in memorata ad Alcuinum epiſtola B. Dionyſium ſe vidiſſe refert, *pulchra facie*, *capillis candidis*, *colobio indutum candidiſſimo purpura clavato*. B. Dorotheus Archimandrita doctrina I.: Εχει δε το κολοβιον ομων τι ποτε πορφυρουν, τι θελει ειναι το σημειον το πορφυρουν. Εκαστος στρατευομενος τω βασιλει πορφυραν εχει εις το χλανιδιον αυτου. Επειδη γαρ ο βασιλευς πορφυραν φορει, παντες οι στρατευομενοι αυτω βαλλουσι πορφυραν εις τα χλανιδια αυτων. Τυτεστι το βασιλικον ενδυμα, ινα δια τουτου δειξωσιν οτι του βασιλεως εισι, και οτι αυτω στρατευονται. Ουτω και ημεις βαμβανομεν το σημειον το πορφυρουν εις το κολοβιον ημων, δεικνυοντες, οτι το χριστω εστρατευθημεν, και κρεωστουμεν υπομειναι ολα τα παθη μετα αυτου οσα υπεμεινεν δι' ημας. *Habet vero colobium noſtrum clavum purpureum. Quidnam deſignat clavus ille purpureus? Unuſquiſque regi militans habet purpuram in ſago ſuo. Ex quo enim rex purpuram ferre coepit, omnes qui militant ei, immittunt purpuram in ſagis ſuis, ut inde appareat regios illos eſſe, & regi commilitare. Sic & nos in colobio noſtro purpureum clavum apponimus, ut demonſtremus nos Chriſto commilitare, & debere tantum illius cauſſa perferre, quantum ille noſtri cauſſa pertulit*. Eucherius lib. II. ad Salonium: *Penula in Apoſtolo Latinum eſt. Eſt autem quaſi lacerna deſcendentibus clavis*. Sedulius ad Epiſt. II. B. Pauli ad Timotheum cap. IV. in Biblioth. Patrum tom. V. part. I: *Penula Latinum eſt*, *ideſt lacerna clavata*.

Hae etiam taeniae purpureae per medias veſtes ductae, non tantum clavi, ſed etiam viae, virgae, aliiſque huiuſmodi nominibus appellabantur, quae earumdem taeniarum longitudinem, & figuram clare ſignificarent. Servius ad lib. VIII. Aeneidos: *Virgatis lucent ſagulis. Sagula virgata, quae habent in virgarum morem deductas vias. Et bene adluſit ad Gallicam linguam, per quam virga purpura dicitur. Virgatis ergo, ac ſi diceret purpuratis*. Iulius Pollux Onomaſtici lib. VII, cap. XIII. Αι μεν τοι εν τοις χιτωσι πορφυραι ραβδοι παρυφαι καλουνται. *Virgae autem purpureae in tunicis vocantur paryphae*. Antiquus Iuvenalis Scholiaſtes ad Sat. VII. *Galli in ſacris utuntur tunica in modum organi, utrimque decreſcentibus virgulis purpureis*.

Hae ipſae taeniae a Graecis vocabantur σημαδια *ſigna*, χωραι *viae*, σωληναι, *canales*, ſimilibuſque vocibus, quae earumdem taeniarum longam figuram oſtenderent, quemadmodum veſtis huiuſmodi taeniis ornata πορφυρα ενυφασμενη, παρυφες, παραλουργες, παραπορφυρος a Graecis quaſi veſtis taeniis purpureis intexta dicebatur. Photius in excerptis Damaſcii in Vita Iſidori: Κολωβων χιτωνα.... πορφυραις πλατεσι σημαδιοις κεκοσμημενον. *Colobium, aut tunicam purpureis latis ſignis, aut clavis ornatam*. Achilles Tatius de Clitophontis, & Leucippes amoribus lib. II.: Ενθα δε ταις αλλαις εσθησιν η χωρα της πορφυρας. *In aliis autem indumentis erat via purpurea*. Cedrenus in Vita Tiberii II: Των μερων φορουντων στολας σωληνωτας απο βλαττιου οξεος. *Partibus circi ferentibus veſtes ornatas canalibus purpurae acutae, aut rubicundae*. Antiquum Lexicum Graecum: Πορφυρα ενυφασμενη. *Clavus*. Hesychius in ſuo Onomaſtico: Παρυφη, η εν τω χιτωνι πορφυρα. *Parypbe vocatur purpura in tunica*. Julium Pollucem mox audivimus dicentem: Αι μεν τοι εν τοις χιτωσι πορφυραι ραβδοι παρυφαι καλουνται. *Virgae purpureae in tunicis vocantur paryphae*. Idem alibi: Το δε παρυφες, και παραλουργες, το εκαθερωθεν εχων παρυφασμενην πορφυραν. *Veſtis parypbe, & paralurges illa eſt, quae utrimque habet intextos clavos purpurae*.

CAPUT XXXIV.

De limbis purpureis.

TAeniae autem purpureae circa oras veſtium ductae limi, limbi, fimbriae, & inſtitae maxime in muliebribus veſtibus dicebantur. Hyginus de limitibus: *Limites autem appellati a limo antiquo verbo, ideſt tranſverſi; nam & limum cinctum ideo, quod purpuram tranſverſam habeat.* Iſidorus lib. XIX. cap. XXXIII. *Limus eſt cinctus, quem publici habent ſervi, & dictus limus, quia tranſverſas habet purpuras.* Servius ad lib. II. Aeneidos: *Alii limbum clavum tranſverſum in veſte exiſtimant.*

Virgilius lib. IV. Aeneidos:

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Et lib. V. Aeneidos:

Victori chlamydem auratam, cui plurima circum
Purpura Maeandro duplici Moelibea cucurrit.

Fimbrias autem purpureas hyacinthinas ipſe Deus Hebraeos ferre iuſſit Numer. cap. XV. *Loquere filiis Iſrael, & dices ad eos, ut faciant ſibi fimbrias per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas.* Iulius Pollux lib. IV. cap. XVIII. ſegm. CXX.: Ενιαις δε γυναιξι, και παραπηχυ, και συμμετρια, οπερ εστι χιτων ποδηρης, αλουργος κυκλω. *Nonnullae etiam mulieres armillam habent, & ſymmetriam, quae eſt tunica talaris purpuream fimbriam habens.* Idem Pollux lib. VII. cap. XIII. ſegm. XLVIII. Πορφυρομιγης δε εσθης, και χλαμυς, ουχ η συνυφαντος πορφυρα, αλλα τη εξ εριου φαιου αυτη κατα ραχας εμεμικτο. *Purpura mixta autem veſtis, aut chlamys, non purpurae mixta ſimul fuit, ſed hac e fuſca lana compoſita ipſis fimbriis purpura admiſcebatur.* Et ſegm. LII. Τα δε περινηστα, υποκροσσον εστι περιβλημα, εχον τα νηματα εξηρτημενα, η πορφυρα κυκλω τα τελη του υφασματος, περιερχεται νησοι σχημα ποιουσα τη περιρροη του χρωματος. *Perineſſa vero fimbriatus eſt habitus fila dependentia habens, aut purpura circumquaque oris contexta eſt, coloris huius circuitione inſulae ſpeciem exhibens.* Et haec fuit inſtita illa, quam Latini vocabant, quamque Latinae mulieres ferebant, uti nemo neſcit.

Obſervandum vero, haſce veſtes non totas purpureas, ſed clavatas, aut ornatas clavis, ſive taeniis purpureis, ſive in medio, ſive ad oras poſitis, vocari proprie conſueviſſe purpuratas, ut a veſtibus totis purpureis diſtinguerentur. Audivimus Servium dicentem ad lib. VIII. Aeneidos: *Virgatis lucent ſagulis: Sagula virgata, quae habent in virgarum morem deductas vias ..... Virgatis ergo, ac ſi diceret purpuratis.* Soſipater Cariſius: *Hic clavus, ideſt impurpurata veſtis.* Hinc ita intelligendus B. Damaſus Papa in Vita Eutychiani: *Qui hoc conſtituit, ut quicumque fidelium martyrem ſepeliret, ſine dalmatica, aut colobio purpurato nullatenus ſepeliret.* Ita quoque intelligendus Vopiſcus in Carini Vita: *Pallio aurato, atque purpurato.* Ita demum intelligendi quotquot ſcriptores purpuratarum veſtium meminerint.

Digitized by Google

C A P U T XXXV.

De clavis, & limbis aureis:

NOnnulli etiam antiqui maiori luxuria veſtes ferebant totas purpureas, aureis clavis, aut taeniis diſtinctas, ſive per medium, ſive per oras. Heliodorus Aethiopicon lib. III. Χιτωνα δε αλουργον ποδηρη χρυσαις ακτισι κατασπαστον ημφιεστο. *Induebatur talarem tunicam purpuream radiis, aut clavis aureis diſtinctam*. Plutarchus in Demetri Vita eum refert indutum fuiſſe χρυσοπαρυφοις αλουργισιν, *veſtibus purpureis auro clavatis*. Lucianus libro contra indoctum: Και η πορφυρα δε ενεπρεπε της εσθητος, η μεταξυ του χρυσου διεφαινετο. *Veſtem ornabat ipſa purpura, quae inter aureos clavos videbatur*. Dion. lib. XVIII. refert Commodum ειτιον χιτωνα ολοπορφυρον χρυσω καταπαστον, χλαμυδα τε ομοιαν, *induiſſe tunicam totam purpuream auro clavatam, & chlamydem ſimilem*. Herodiauus lib. I. ipſum Commodum ait loco Romanae veſtis αμφιεννυτο τε αλουργεις και χρυσουφεις εσθητας, *indutum veſtibus purpureis auro clavatis*. Procopius libro aedificiorum Iuſtiniani, de Satrapibus Armeniae loquens, quibus poteſtatem ferendi veſtes auro clavatas Iuſtinianus ipſe dederat: Χρυσω δε η της πορφυρας κατειληπτο μοιρα, εφ᾽ ης ειωθεν η της αλουργιδος εμβολη γινεσθαι. *Auro vero illa pars clavata eſt, cui ſolet purpura immitti*. Flavius Vopiſcus in Taciti Vita: *Auroclavatis veſtibus idem interdixit*. Idem Vopiſcus in Aureliani Vita habet *tunicam auroclavatam*. Papias in Onomaſtico: *Chryſoclavus, aurata purpura*. Anaſtaſius in Leonis III. Vita: *Veſtem chryſoclabam..... aliam veſtem de blattin habentem in medio crucem de chryſoclabo*.

Hi autem aurei clavi proprie ſegmenta a Latinis appellabantur. Antiquus Iuvenalis Scholiaſtes ad Sat. VI: *Segmenta dicit vittam pendentem e veſtibus intextam auro*. Valerius Maximus lib. V. cap. II: *Permiſit quoque his* (Populus Romanus feminis) *purpurea veſte, & aureis uti ſegmentis*. Hinc Sidonius Apolinaris lib. VI. cap. VIII. ſegmenta palmatae tribuit, quae veſtis, ut cap. XLIII. obſervabimus, veſtis erat aureis clavis ornata, immo ea ſegmenta crepitantia vocat, quod auro apprime convenit: *Illam Sarranis ebriam ſuccis inter crepitantia ſegmenta palmatam plus picta oratione, plus aurea convenuſtavit*. Ennodius quoque in Panegyrico vocat conſules poſitos in ſegmentis, nimirum palmata indutos, qua veſte imperii tempore utebantur Conſules; *Ille annus habuit Conſulem, qui rempublicam non tam ſollicitudine, quam opinione tueretur, quo in ſegmentis poſito, quae ab hoſtibus ſumpta fuerunt arma, tremuerunt*. Ita igitur intelligendus Ovidius lib. III. de arte amandi:

Quid de veſte loquar? Nec vos ſegmenta requiro,
Nec quae de Tyrio murice lana rubes.

Ita quoque alii ſcriptores intelligendi, qui ſegmentorum in veſtibus mentionem fecerint.

Iidem ipſi aurei clavi patagia etiam antiquitus a παταγειον *clavus* vocabantur. Nonius: *Patagium aureus clavus, qui pretioſis veſtibus aſſui ſolet, quae patagiata dicitur, & patagiarii, qui huiuſmodi opera faciunt*. Hinc Tertullianus lib. de Pallio ita de pavone: *Omni patagio inauratior*.

Aurei autem clavi ad oras veſtium appoſiti, appellari conſuevere limbi. Ovidius lib. V. Metamorphoſeon:

Indutus

Indutus chlamydem Tyriam, quam limbus obibat
Aureus, ornabat aurata monilia collum.

Hinc limbus veſtis ipſa regia vocabatur, quod huiuſmodi aureum limbum haberet. Iſidorus in Gloſſis: *Limbus navis piratica, vel clavus in veſte regia, ſive ipſa veſtis*. Trebellius Pollio de Zenobia: *Ad conciones galeata proceſſit cum limbo purpureo*.

Huiuſmodi autem limbi aurei paragaudae vocabantur etiam a ſcriptoribus, uti a Salmaſio, & Caſaubono probatum eſt in notis ad Vopiſcum, quae paragaudae perpetuo vetitae fuerunt a Theodoſio magno, ut habetur in L. undecima Codicis Iuſtinianei ad Tit. de veſtibus holoberis, & auratis, & de intinctione ſacri muricis.

Neque haec vetatio mira. Aurei enim iſti clavi, & limbi regum tantum proprii fuerunt. Chronicon Alexandrinum: Εχων αντι πορφυρου χρυσουν βασιλικον ταβλιν. *Habens loco purpurei aureum regium clavum*. Anaſtaſius in Hormiſda: *Pallia holobera blattea cum tabulis auro tectis de chlamyde, vel ſtola imperiali*. Alia circa id teſtimonia referre ſuperſedemus, quod plura horum ſimilia inferioribus capitibus ſaepius occurrent.

Animadvertendum denique veſtes hiſce aureis clavis ornatas vocatas fuiſſe auratas, ut totas aureas excluderent. Papias in Onomaſtico: *Chryſoclavus. Aurata purpura*. Ita igitur omnes ſcriptores intelligendi, qui auratarum veſtium meminerunt.

CAPUT XXXVI.

De clavis, & limbis candidis, & coccineis.

FErebant etiam antiqui veſtes totas purpureas taeniis, aut clavis albis ornatas. Iam audivimus Plutarchum referentem iocum Alexandri in Antipatrum: Επαινουντων ενιων του Αντιπατρου την ευτελειαν ως αθρωπτως διαιτωμενου και αυστηρως. εξωθεν, ειπεν, Αντιπατρος λευκοπαρυφος εστι, τα δε ενδον ολοπορφυρος. *Laudantibus nonnullis Antipatri frugalitatem aſpere, & duriter viventis, Antipater quidem, dixit, extra veſtes habet albis clavis ornatas, intus vero totus purpureus eſt.* Statius lib. II. Thebaidos:

& ab arbore caſta
Nectent purpureas niveo diſcrimine vittas.

Huiuſmodi quoque erat regum Perſarum veſtis iuxta Xenophontem lib. VIII. Cyropaediae: Επι δε τουτοις ηδη αυτος εκ των πυλων προυφαινετο ο Κυρος εφ' αρματος ορθην εχων την τιαραν, και χιτωνα πορφυρουν μεσολευκον. αλλω δ' ουκ εξεστι μεσολευκον εχειν. *Poſt haec portis prodibat ipſe Cyrus curru rectum tiara ferens, indutuſque tunica albo clavo in media parte ornata: nulli enim licet ferre tunicam albo clavo in medio diſtinctam*. Curtius lib. II.: *Habebat Darius purpuream tunicam, cui medium album intextum erat*. Et lib. III.: *Cultus regis* (Darii) *inter omnia luxuria notabatur: purpureae tunicae medium album intextum erat*. Idem lib. VI.: *Cidarin Perſae regium capitis vocabant inſigne. Hoc caerulea faſcia albo diſtincta circuibat*. Et eodem libro: *Itaque purpureum diadema diſtinctum albo, quale Darius habuerat, capiti circumdedit*. Forſitan hi candidi clavi, quibus regum Perſarum veſtis fulgebat, purpura illa candida conſtabant, quae in Perſide ope olei albi fucabatur, quemadmodum cap. XXV. obſervavimus. Graeci autem Imperatores limbos veſtium candidos geſtare conſueverant. Corippus in Panegyrico Iuſtini II. v. CXVI.: *Subſtri-*

Subſtrictoque ſinu veſtis divina pependit
Poplite fuſa tenus pretioſo candida limbo.

Aliquando vero etiam hi clavi medias veſtes findentes coccinei erant. Lampridius in Alexandri Vita: *Convivium neque opiparum, neque nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit, ita tamen, ut pura mantilia mitterentur, ſaepius cocco clavata.* Honorius Auguſtodunenſis in Gemma animae lib. I. cap. CCXII.: *Dalmatica duas coccineas lineas ante & retro habet, quia vetus, & nova lex dilectione Dei, & proximi refulget. Iidem tramites purpurei deſignant ſanguinem Chriſti pro duobus populis effuſum.* Alcuinus cap. IV. de celebratione miſſae: *Habet* (dalmatica) *& coccineas virgulas ſanguinem Chriſti pro ſalute mundi effuſum demonſtrantes.* Amalaricus lib. II. cap. XXI. de officiis Eccleſiaſticis: *Ipſa dalmatica duas coccineas lineas habet retro, ſimiliterque in anteriori parte, quia vetus teſtamentum, & novum rutilant dilectione Dei, & proximi.*

Referemus cap. XLI. Romanam trabeam coccineis clavis & ipſam fuiſſe inſignem.

C A P U T X X X V I I.

De veſtibus pictis.

GEſtabant denique antiqui homines totas purpureas veſtes aureis picturis mirifice inſignitas. Aelianus lib. IV. cap. XXII. lautos Athenienſes inducit huiuſmodi pictis veſtibus indutos: Αλουργη μεν ημπειχοντο ιματια, ποικιλους δε ενεδυνον χιτωνας. *Pallia ferebant purpurea, tunicaſque pictas.* Hae picturae vero vel aſtra aurea, vel homines, & animantia aurea referebant. Ciphilinus in Excerptis: Τα γε μεν παραπετασματα τα δια του αερος διατιθεντα, οπως τον ηλιον απερυκει, αλουργα ην, και εν μεσω αυτων αρμα ελαυνων ο Νερων ενεπεπικτο, αστερες δε χρυσα περιξ επελαμπον. *Vela etiam, quae per aerem extendebantur ad ſolem arcendum, purpurea erant, & in illis acu pictus erat Nero currum regens, aureis ſtellis circumdatus.* Chronicon Alexandrinum: φορεσας στεφανον, και χλαμιδιν ασπρον ολοσηρικον εχων αντι πορφυρου χρυσουν βασιλικον ταυλιν, εν ω υπερχεν εν μεσω στηθαρια αληθειδιν μικρον το βασιλικου χαρακτηρος Ιουστινου. *Ferens coronam Romanorum, & chlamydem candidam boloſericam, habens loco purpurei aureum regium clavum, in cuius medio erat parva quaedam imago Iuſtini imperiali veſte induti.* Athenaeus lib. XII. Deipnoſophiſtarum Demetrii chlamydem deſcribit ſtellis aureis pictam: Αι δε χλαμυδες αυτου ησαν ορφνινου εχουσαι το φεγγος της χροας. Το δε παν ο πολος ενυφαντο, χρυσους αστερας εχων, και τα δωδεκα ζωδια. *Eius chlamydes obſcuro ſplendore coloris fulgebant. Acu pictum in iis videbatur caelum, habens aſtra aurea, & duodecim zodiaci ſigna.* Stephanus III. in memorata ad Alcuinum epiſtola B. Dionyſium ſe vidiſſe refert: *colobio indutum candidiſſimo purpura clavato, pallio toto purpureo, auro interſtellato.* Ita denique pictam huiuſmodi veſtem deſcribit Corippus lib. II. memorati Panegyrici in laudem Iuſtini II. v. CCLXXVII.

Et tulit intextam pretioſo murice veſtem,
Iuſtinianorum ſeries ubi tota laborum
Nexo auro inſignita fuit, gemmiſque coruſca.
Illic barbaricas flexa cervice phalanges,
Occiſos reges, ſubiectaſque ordine gentes

Pictor

Digitized by Google

Pictor acu tenui multa formaverat arte.
Fecerat & fulvum diſtare coloribus aurum,
Omnis ut aſpiciens ea corpora vera putaret.
Effigies auro, ſanguis depingitur oſtre.

Sed de hiſce purpureis acu pictis veſtibus cap. XLIII: ſermo eſt rediturus.

C A P U T X X X V I I I.

De ratione ornandi veſtes clavis, aut picturis.

CLavi autem, limbi, & picturae huiuſmodi aliquando veſtibus inſuebantur, uti plerumque in ornatibus veſtium noſtrarum uſuvenit, quos *galloni*, *o guernizioni* vocamus. Iam audivimus B. Baſilium in loco Iſaiae dicentem: *Aut veſtium oris attexebant purpuram, aut eam parti mediae immittebant*. Horatius in Arte poetica v. XV.

Purpureus late qui ſplendeat unus & alter
Aſſuitur pannus.

I. C. in L. XXXII. de auro, & argento legato: *Et quae his acceſſionis vice accedunt, quae ſunt inſtitae, picturae, clavique, qui veſtibus inſuuntur.... Quemadmodum clavi aurei, & purpurei pars ſunt veſtimentorum. Idem Pomponius libris epiſtolarum: etſi non ſunt clavi veſtimentis conſuti, tamen veſte legata contineri.* Hinc iam formatae veſtes, ſed nondum clavis, aut picturis ornatae vocabantur Praeclavia, ideſt veſtes non adhuc clavatae, aut pictae. Nonius: *Praeclavium pars veſtis, quae ante clavum texitur*; adducitque, qui ſequitur, locum Afranii: *Mea nutrix ſurge, ſi vis, profer purpuram, praeclavium textum eſt.*

Interdum vero ſaltem picturae opere phrygionico adplicabantur, quod nos dicimus *a ricamo*. Plinius lib. VIII. cap. XLVIII.: *Pictas veſtes iam apud Homerum fuiſſe, unde triumphales natae. Acu facere id Phryges invenerunt, ideoque phrygiones appellati ſunt*. Suidas in voce Chlamys ait Numam Pompilium εφευρε την χλαμυδα στολην, ουκ εξωθεν επιθεις, αλλ' εσωθεν εμβαλων την της πορφυρας βαφην, *tuliſſe chlamydem non immittentem ab exteriori parte*, (ideſt non inſuentem) *ſed iniicientem ab interiori parte* (ideſt acu pingentem) *purpuram*. Hactenus generatim, mox peculiariter de antiquorum purpureis veſtibus.

C A P U T X X X I X.

De tunica laticlavia.

LAticlavia tunica praeſeferebat clavos ſive ex purpura, ſive ex auro, ſive ex cocco, ſive ex albo, qui latiores eſſent, unde etiam nomen accepit. Iulius Pollux Onomaſtici lib. VII. cap. XIV.: πλατυπορφυρα ιματια, *laticlavias veſtes*. Silius Italicus Punicorum lib. III. aſſerit Sacerdotes Herculis Gaditani laticlavia veſte indutos.

Sacrificam lato veſtem diſtinguere clavo.

Photius in Excerptis Damaſcii in vita Iſidori habet Λαμπραν κορην ευζωνον, κολοβον χιτωνα μελινοχρουν ανεζωσμενην πορφυροις πλατεσι σημαδιοις κεκοσμημενην: *Formoſam virginem, & bene cultam, habentem tunicam mellini coloris latis clavis purpureis ornatam.* Unus

Unus omnino erat clavus in laticlavia veſte, quemadmodum unus omnino eſt clavus latus in mediis colobiis, ſive dalmaticis, & penulis, ſive planetis noſtris. B. Dorotheum Archimandritam audivimus dicentem: *Habet vero colobium noſtrum clavum purpureum*. Audivimus quoque Chronicon Alexandrinum: *Loco purpurei aureum regium clavum*. Audivimus denique Xenophontem & Curtium citatis locis in cap. XXXVI. tunicam regum Perſarum uno tantum clavo albo ornatam referentes. Herodianus narrat lib. V. Romanos Magiſtratus coactos ab Elagabalo ſacrificia facere χιτωνας ποδηρεις και χειροδωτους νολω φοινικων εν μεσω φεροντες μιαν πορφυραν, *indutos talares tunicas, & manicatas iuxta morem Phoenicum, habentes unum clavum purpureum in medio*. Agathias lib. III. refert Tzatem Latiorum regem ferre ſolitum λευκην δε μονον ου μεν τοι πανταπασι γε κοινην ουτω, και ειθισμενην. αμφι γαρ το μεταιτατον εκεινη χρυσω υφασματι κατερωθεν καταλαμπεται, *chlamydem albam, non tamen omnibus communem, & conſuetam. Circa medium enim illius aureus clavus intextus utrinque apparet*.

Ceterum haec tunica laticlavia propria erat virorum principum, & ditiorum. Lucianus in Demonacte; Ιδων δε τινα των ευπαρυφων επι το πλατει της πορφυρας. *Videns autem ex bene cultis unum, ob latitudinem ſui clavi purpurei ſuperbientem*. Tertullianus in libro de pallio cap. IV. de Saturni Sacerdotibus loquens. *Latioris purpurae ambitio Saturnum commendat*. Huiuſmodi latiores clavos purpureos, ſive per mediam veſtem, ſive per oras, & fimbrias ductos, qui clavi phylacteria vocabantur ab Helleniſtis, geſtabant ſuperbiſſimi Scribae, & Phariſaei, de quibus Evangeliſtae loquuntur. B. Epiphanius lib. I. haereſi XV. Scribarum: Και φυλακτηρια παρ' εαυτοις επι τα ιματια επετιθετο, τουτεστι πλατεα σηματα πορφυρας.... αλλ' επειδαν στολας ειτ' ουν αμπεχονας οι τοιουται ανεβαλλοντο και δαλματικας, ειτ' ουν κολοβιωνας εκ πλατυσημον δια πορφυρας αλουργουφεις κατεσκευασμενας, τα δε σηματα της πορφυρας φυλακτηρια ειωθασιν οι ακριβωμενοι μετονομαζειν. *Et ferebant in veſtibus phylacteria, quae ſunt latae quaedam taeniae, aut clavi purpurei. Utebantur enim hi ſtolis, & veſtibus, quaſi dalmaticis, aut colobiis, quae huiuſmodi latis purpureis taeniis ornabantur. Qui autem diligentius loquuntur, phylacteria haſce taenias, aut clavos vocant*. Nicetas Choniates Theſauri orthodoxi lib. I cap. XXXIX. de iiſdem Phariſaeis verba faciens ita loquitur ex fide Petri Morellii, qui latinam huius operis interpretationem dedit: *Dalmaticis, quae nunc colobia dicuntur, purpuraque praetexuntur, induti phylacteria ſua oſtentabant*. Hinc merito huiuſmodi ſuperbiam veſtium & animi saepius verbis acerbis notavit divinus noſter Redemptor, uti habetur praeſertim in Matthaei Evangelio cap. XXIII: *Dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias*. Hinc etiam Romani Senatores laticlavia tunica induebantur: Iuvenalis Sat. I. v. CVI. de lato clavo Romanorum Senatorum loquens:

Quid confert purpura maior

Optandum?

Acron ad Sat. V. lib. I: Horatii: *Praetextam, & latum clavum. Latum clavum purpuram dicit, quae in pectore extenditur Senatorum*.

Latitudo vero huiuſce lati clavi, aut latae taeniae purpureae ante, & retro per mediam veſtem ductae, fere palmi unius erat. Id demonſtrat palmaris latus clavus, qui adhuc in mediis dalmaticis, & planetis noſtris adfigi ſolet, tum trabeae latus clavus, quae ideo trabea vocabatur, quod trabales, aut palmares hos clavos habebat, tum denique latitudo palmaris lati clavi veſtis palma-

tae,

tae, quae ab eadem lati clavi palmari latitudine nomen accepit iuxta Feſtum: *Tunica autem palmata a latitudine clavorum dicebatur, quae nunc a genere picturae appellatur*. Balearidum vero incolas latum clavum inveniſſe referunt Strabo lib. II. & Euſtathius in Dionyſium Periegetem.

CAPUT XL.

De tunica anguſticlavia.

ANguſticlavia autem tunica clavos ipſos anguſtiores habebat, unde etiam nomen accepit. B. Hieronymus in epiſt. XXII. tom. I. ad Euſtochium: *Purpura tantum in veſte tenuis*. Spartianus in Severi Vita: *Hic tam exiguis veſtibus uſus eſt, ut vix tunica eius aliquid purpurae haberet*.

Duo vero fere erant clavi in anguſticlavia veſte, uti duo tantum anguſti clavi in dalmaticis, & planetis noſtrorum ſacerdotum adiiciuntur. Iam audivimus ſcriptores eccleſiaſticos cap. XXXIII., & XXXVI. relatos, duos dalmaticarum clavos memorantes. Eiſdem ſcriptoribus cumuletur Apuleius lib. II. Floridorum: *Habebat indutui ad corpus tunicam interulam tenuiſſimo textu, triplici licio, purpura duplici*. Horatius in Arte poetica verſ. XV.:

Purpureus late qui ſplendeat unus, & alter
Aſſuitur pannus.

Aliquando vero etiam tribus clavis veſtes ornabantur. Statius lib. VIII. Thebaid. v. DLXV.:

triplici velaverat oſtro
Surgentes etiamnum humeros, & levia mater
Pectora.

Hoc tamen puerorum tantum proprium eſſe debuit, nam plures, quam duo clavi, dedecori habebantur ab antiquis. Quintilianus lib. III.: *Ut affert lumen clavus purpurae loco inſertae, ita certe neminem deceat intexta pluribus notis veſtis.*

Ceterum hae laticlaviae tunicae humiliorum propriae fuerunt, & hinc etiam equitum Romanorum. Cum itaque laticlaviis tunicis ſenatores, equites anguſticlaviis utebantur. Plinius inquit lib. IX. cap. XXXV.: *Purpura diſtinguit ab equite curiam*. Paterculus ait Maecenatem vixiſſe *anguſto clavo pene contentum*. Statius lib. V. Silv. II. v. XVII.:

non ſanguine cretus
Turmali, trabeaque Remi, nec paupere clavo.
Idem Statius lib. IV. Silv. V. v. XLI.
Hic parvus inter pignora curiae
Contentus arcto lumine purpurae
Creſcis.

Tantam vero gloriolam ex hiſce clavis tunicarum ſibi captabant antiqui, ut quidam pellucidis togis ad oſtentandns ſubiectarum tunicarum clavos uterentur. Varro apud Nonium in vocibus *Tunica, & Vitream*: *Quam iſtorum vitreae togae oſtentant tunicae clavos.*

CAPUT XLI.

De praetexta, & trabea.

NEmo neſcit togam praetextam magiſtratuum Romanorum propriam, fuiſſe naturali albo colore donatam, & tantum purpureis oris, ſive limbis transverſis inſignem. Graeci ſcriptores id demoſtrant, qui togam praetextam περιπορφυρον, quaſi purpureis taeniis, ſive limbis circumdatam vocant. Vicem omnium praeſtet Plutarchus in Romuli Vita: Τηβεννον εφορει περιπορφυρον. *Geſtabat* (Romulus) *togam praetextam*.

Svetonius apud Servium ad librum VII. Aeneidos tria trabearum genera proponit: *Unum Diis ſacratum, quod eſt tantum de purpura: alíud regum, quod eſt purpureum, babet tamen aliquid album: tertium augurale de purpura & cocco*. Cum autem primum trabeae genus ad Deos pertineret, cum ſecundum ad reges non iam Romanos, ſed Barbaros, & Perſas, uti cap. XXXVI. obſervavimus, hinc de tertio tantum trabeae genere, quae ad augures, reliquoſque ſacerdotes, reges Romanos, conſules, equiteſque in eorum tranſvectionibus pertinebat, quaeque una erat Romana trabea, verba faciemus. Erat autem haec purpura & cocco ornata, uti a Svetonio audivimus, & uti etiam aſſentitur Iſidorus Originum lib. XIX. *Trabea erat togae ſpecies ex purpura, & cocco, qua operti Romanorum reges initio procedebant*. Sed qua certa ratione purpura, & cocco ornatam fuiſſe trabeam eſt putandum? Dionyſius affirmat trabeam fuiſſe togam naturali albo colore donatam, ornatam vero coccineis clavis, & purpureis limbis. Ita ille lib. II. de ſacerdotibus Gallis loquens: Τηβεννας εμπεπορπημενα περιπορφυρους φοινικοπαρυφους, ας καλουσι τραβεας. *Togas induti ornatas limbis purpureis, & coccineis clavis, quas trabeas vocant*. Idem Dionyſius lib. VI. de equitibus Romanis in eorum tranſvectionibus verba faciens: Τηβεννας περιπορφυρους φοινικοπαρυφους, ας καλουσι τραβεας. *Induti togas ornatas purpureis limbis, & clavis coccineis, quas vocant trabeas.* Trabea autem vocabatur, quod hi coccinei clavi, cum plurimi eſſent, aut trabes, aut virgas referrent. Hinc ſagula virgata Gallorum trabeata etiam dicta ſunt. Servius ad lib. VIII. Aeneidos: *Quae ſagula Gallorum virgata etiam trabeata dicta ſunt*. Trebellius in Gallieno: *Perdita Gallia arriſiſſe, & dixiſſe perbibetur: Non ſine trabeatis ſagis tuta reſpublica erit?*

Obſervandum vero trabeas ſequioribus imperii temporibus etiam aureis clavis, aut ſegmentis, & aureis picturis fuiſſe inſignitas. Sidonius Apollinaris carm. XV.:

Attamen in trabea ſegmento luſerat alto.

Auſonius Epiſt. XXIV.

Paullinum, Auſoniumque viros, quos ſacra Quirini
Purpura, & auratus trabeae velavit amictus.

Claudianus denique lib. II. de laudibus Stiliconis hanc ditiſſimam trabeam deſcribit:

gremioque rigentia profert
Dona, graves auro trabeas. Inſigne Minervam
Spirat opus, rutilis hinc pingitur aula columnis,
Et ſacri Mariae partus. Lucina labores
Solatur, reſidet fulgente puerpera lecto,

Sillo-

Digitized by Google

Sollicitae iuxta palleſcunt gaudia matris.
Suſceptum puerum redimitae tempora Nymphae
Auri fonte lavant. Teneros in ſlamine riſus,
Vagituſque audire putes. Iam creverat infans
Ore ferens patrem, ſed avus maturior aevi
Martia recturo tradit praecepta nepoti.
Parte alia ſpumis fucantem ſerica fraena
Sanguineis, primae ſignatus flore iuventae
Eucherius flectebat equum, iaculiſque, vel arcu
Aurea purpureos tollentes cornua cervos
Aureus ipſe ferit.

CAPUT XLII.

De chlamyde, aut paludamento.

Romanorum Imperatorum chlamys tam reipublicae, quam imperii tempore alba erat quandoque, ſaepius vero purpurea. Valerius Maximus lib. I. cap. V.: *Pullum ei* (Craſſo) *traditum eſt paludamentum, cum in praelium exeuntibus album, aut purpureum dari ſoleret.* Hircius de bello Africano: *Cum Scipio ſagulo purpureo ante Iubae regis adventum uti ſolitus eſſet, dicitur Iuba cum eo egiſſe, non oportere illum uti veſtitu, atque ipſe uteretur. Itaque factum eſt ut Scipio ad album ſeſe veſtimentum transferret.* Ipſe Valerius Maximus lib. I. cap. VIII. *Caſſius acie Philippenſi vidit Caeſarem humano habitu auguſtiorem, purpureo paludamento amictum.* Appianus Alexandrinus lib. II. bellorum civilium refert Caeſarem natantem *την πορφυραν απερριψε*, *chlamydem purpuream cepiſſe.* Herodianus lib. IV. cap. VIII. Caracallam ait ſupra Alexandri M. tumulum inieciſſe *την τε χλαμυδα, ην εφερεν αλουργη*, *purpuream clamydem, quam ferebat.* Eutropius lib. X.: *Imperii inſigne in chlamyde purpurea tantum erat.* Euſebius in Chronico: *Cum omnes Imperatores..... chlamydem tantum purpuream a privato habitu plus haberent.*

Contra vero a ſcriptoribus aliis chlamys, aut paludamentum imperatorium coccineum fuiſſe dicitur. Plinius lib. XXII. cap. II.: *Galatiae, Africae, Luſitaniae granis coccum imperatoriis dicatum paludamentis.* Dion lib. XLVI. in ſanguinem eſſe prolapſum eum dicit, qui Craſſo *φοινικα προσφερων* *coccineam chlamydem ferebat.* Appianus lib. IX. bellorum civilium ait, M. Antonium apparuiſſe *εν τη στρατηγιδη φοινικιδι*, *coccinea imperatoria chlamyde indutum.* Lampridius in Imperatoris Alexandri vita: *Uſus eſt chlamyde coccina ſaepe.... Balneari veſte ad palatium revertens hoc ſolum imperatorium habens, quod lacernam coccineam accipiebat.* Vopiſcus in Aureliani Vita narrat ab eodem Aureliano Tetricum tyrannum chlamyde coccinea ornatum fuiſſe ductum in triumphum. *Inter haec fuit Tetricus chlamyde coccinea.* Horatius Epodon Ode IX. verſ. XXVII.

Terra, marique victus hoſtis, Punico
Lugubre mutavit ſagum.

Et Porphyrion ad eumdem locum: *Hoc eſt, depoſuit coccineam chlamydem Antonius, qua ſcilicet Imperator utebatur, & accepit lugubrem, ideſt nigram.*

Quae cum ita ſint, & cum ſcriptores modo purpureum, modo coccineum imperatorium paludamentum fuiſſe dicant, nos purpureum, an coccineum huiuſ-

Digitized by Google

modi paludamentum fuiſſe dicemus? Procul dubio utrumque, nimirum & coccineum, & purpureum. Lampridius in Diadumeni Vita: *Hic ubi primum indumenta coccea, & purpurea, ceteraque caſtrenſia imperii inſignia accepit, quaſi ſidereus, & caeleſtis emicuit*. Immo coccineum, purpureum, & aureum. Iſidorus: *Paludamentum cocco, purpura, & auro diſtinctum*. Ut autem hanc imperatoriam chlamydem peculiarius deſcribamus, ea tota coccinea erat variis clavis purpureis, & aureis diſtincta. Capitolinus in Albini Vita hanc epiſtolam Commodi Imperatoris ad Albinum ipſum rebellem datam refert: *Sane ut tibi inſigne aliquod imperialis majeſtatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem, me praeſente, & ad me, & cum mecum fueris, habiturus & purpuram, ſed ſine auro, quia ita & proavus meus Verus, qui puer vita functus eſt, ab Hadriano, qui eum adoptavit, accepit*. Creſconius Corippus lib. II. verſ. CXVIII. Panegyrici in laudem Iuſtini minoris chlamydem huius imperialem clavis purpureis, & aureis inſtructam quoque deſcribit:

Caeſareos humeros ardenti murice texit
Circumfuſa chlamys, rutilo quae ornata metallo
Principis exerta vincebat lumina dextra.

B. Marcus, & B. Iohannes narrant Romanos milites opprobrii cauſſa Ieſum Chriſtum Redemptorem noſtrum (cui honor, & gloria in ſaecula ſaeculorum) veſte purpurea induiſſe. Ita B. Marcus cap. XV.: *Milites autem duxerunt eum in atrium praetorii, & convocant totam cohortem, & induunt eum purpura*. Ita quoque B. Iohannes cap. XIX.: *Et milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circumdederunt eum*. B. Matthaeus vero cap. XXVII. narrat eoſdem milites veſte coccinea Ieſum Chriſtum induiſſe: *Tunc milites Praeſidis ſuſcipientes Ieſum in praetorio, congregaverunt ad eum univerſam cohortem, & exſuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei*. Enimvero vel mendacia, vel inter ſe pugnantia in hiſce afflati ſcriptoribus admittemus? Minime ſane. Iuvencus lib. IV. Hiſtoriae evangelicae, ut hanc pugnam tollat, chlamydem coccineam, & tunicam purpuream divino homini impoſitam autumat:

Purpureamque illi tunicam, chlamydemque rubentem
Iniiciunt, ſpiniſque caput cinxere cruentis.

Melius autem haec inter ſe ſpecie tantum pugnantia conciliat B. Auguſtinus lib. III. de conſenſu Evangeliſtarum inquiens chlamydem fuiſſe totam coccineam, & clavis purpureis ornatam, atque adeo, cum utroque colore inſignita eſſet, & purpuream, & coccineam eamdem vocitari potuiſſe, & conſueviſſe: *Poteſt etiam fieri, ut purpuram etiam Marcus commemorarit, quam chlamys habebat, quamvis eſſet coccinea*. Idem confirmat Germanus Patriarcha in libro de Theoria eccleſiarum inquiens, divino noſtro Furcifero indutam fuiſſe purpuram chlamydis coccineae: *την απο κοκκινου πορφυραν*, *purpuram veſtis coccineae*. Hanc autem veram eſſe ſacrorum Hiſtoricorum ſententiam, quae ſupra demonſtravimus, etiam perbelle oſtendunt.

Ceteri autem militiae Romanae duces, & praefecti ſaltem imperii tempore chlamydes albas gerebant clavis tantum purpureis notatas ad aliquam ſignificationem praebendam illius imperii, quod a purpureo principe accepiſſent. Iam audivimus B. Dorotheum Archimandritam doctrina I. dicentem: Εκαστος *στρατευομενος το βασιλει πορφυραν εχει εις το χλανιδιον αυτου. επειδη γαρ ο βασιλευς πορφυραν φορει, παντες οι στρατευομενοι αυτω βαλλουσι πορφυραν εις τα χλανιδια αυτων. τουτεστι το βασιλικον ενδυμα, ινα δια τουτου δειξωσιν, οτι του βασιλεως εισι, και οτι αυτω στρατευονται. Quicumque regi militat, purpuram habet in chlamyde*

myde ſua. Ex quo enim rex purpuram ferre cepit, omnes, qui militant ei, immittunt purpuram in ſagis ſuis, ut inde appareat regios illos eſſe, & regi commilitare. Caſſiodorus lib. VI. cap. XXI. ad Rectorem provinciae ſcribens: *Chlamydi tuae procul dubio inter alia clavos intende; quo ſcias non inaniter poſitos. Hinc fit, ut cum publicum agentes purpuram cernerent, de vigore ſemper principis admonerent.* Haſce chlamydes more tracto a Pelaſgis ipſum Numam Pompilium ceteris ducibus, & praefectis primum tradidiſſe narrat Georgius Cedrenus Tom. VIII. Byzantinae Hiſtoriae, licet id forſan Reipublicae Romanae temporibus falſum fuerit: Τας δε των εγκλητικων, και τας των εν αξιαις και στρατειαις χλαμυδας εχουσας σημαντορα της βασιλικης φορεσιας ταβλια πορφυρα δηλουντα αξιαν ρωμαικης πολιτειας, και υποταγην διαγωγης. *Iuſſit autem Numa, chlamydes Senatorum, aliorumque, qui in dignitatibus, & imperiis militaribus conſtituti eſſent, habere tabulas, aut latos clavos purpureos, ſigna regiae poteſtatis, & dignitatem, regimenque Romani imperii demonſtrantes.*

C A P U T XLIII.

De tunica palmata, & toga picta.

TUnica palmata regum, triumphantium, & thenſas ducentium propria, tota purpurea erat, ſed decorata aureis clavis palmum latis, & picta aureis figuris palmarum, quae victoriam ſignificarent, ita ut antiquitus a latitudine palmari clavorum, deinde a figuris palmarum, quae mox adiici coepere, palmata diceretur. Feſtus in verbo Toga picta: *Tunica autem palmata a latitudine clavorum dicebatur, quae nunc a genere picturae appellatur.* Xiphilinus in Excerptis lib. LVI. eam vocat αλουργιδα χρυσοπαστον, non ſecus ac Plutarchus in Pauli Aemilii Vita, ideſt *purpuream auroclavatam*. Dionyſius lib. V., & alibi etiam eam vocat στολην ποικιλην και χρυσοσημον, nimirum *tunicam palmis pictam, & auro clavatam*. Fortunatus Poem. lib. II.

Alter palmatae, trabeae nitet alter honore,
Pingit & ornatum gemma, aurum, purpura, byſſus.

Sequioribus vero imperii temporibus etiam hominum figurae in palmatis pingebantur. Auſonius in gratiarum actione: *Palmatam tibi miſi, in qua divus parens Conſtantius intextus eſt. Haec plane haec eſt picta, ut dicitur, veſtis non auro magis ſuo, quam tuis verbis.*

Toga picta eorumdem regum, triumphantium, & thenſas ducentium propria, purpurea & ipſa tota erat, ſed pictis aureis ſtellis inſignis. Appianus Alexandrinus Punicorum lib. I. narrat Scipionem triumphaſſe, ες των πατρων τροπον πορφυραν αστερων χρυσων ενυφασμενην, *iuxta patrum morem indutum veſte purpurea aureis ſtellis inſigni*. Svetonius quoque Neronem ait Romam ingreſſum eſſe huiuſmodi veſte ornatum: *Ingreſſus eſt Romam eo curru, quo olim Auguſtus triumphaverat, in veſte purpurea, diſtinctaque ſtellis aureis chlamyde.* Dionyſius lib. III., & etiam alibi eam vocat περιβολαιον ποικιλον, *togam pictam*. Feſtus denique ait, hanc togam antiquitus purpuream totam fuiſſe, ſed ſine pictura: *Picta, quae nunc toga dicitur, purpurea antea vocitata eſt, eaque erat ſine pictura. Cuius rei argumentum eſt pictura in aede Vertumni, & Conſi, quarum in altera M. Fulvius Flaccus, in altera T. Papirius Curſor triumphantes ita picti ſunt.*

CA-

CAPUT XLIV.

De calceis.

CAlcei regum Romanorum, triumphantium, & etiam quandoque ſenatorum proprii, coccinei erant iuxta nonnullos ſcriptores. Zonaras lib. IV. Romulum ait *πεδιλοις εκεκρητο ερυθροις*, *rubris calceis uſum eſſe*. Dion. lib. XLIII. Caeſarem ait *τη υποδεσει και υψηλη και ερυθροχρωω κατα τους βασιλεας τους εν τη Αλβη ποτε γενομενους, ως και προσηκων σφισι δια τον Ιουλον εχρητο*, *induiſſe calceum altum, & rubrum iuxta regum Albanorum morem, ad quos per Iulium Aſcanium genus ſuum referebat*. Inſcriptio Ariminenſis Caii Marii a Gruterio pag. CCCCXXXVI. num. III., & ab aliis etiam relata, at ſemper magna cum varietate lectionum, (quae tamen ſpuria a Cl. Scipione Maffeio habetur in *Art. crit. lapidar.* lib. III. cap. IV. col. CCCXXXVIII.) haec nobis praecipue exhibet: DE. MANVBIEIS. CIMBRICIS. ET. TEVTONICEIS. AEDEM. HONORI. VICTOR. FECIT. VESTE. TRIVMPHALI. CALCEIS. PVNICEIS. Martialis lib. II. epig. XXIX. ad ſenatores Romanos adludens ait:

Coccina non laeſum cingit aluta pedem.

Procopius libro Aedificiorum Iuſtinianum narrat ſatrapibus Armeniae praeter cetera regia inſignia conceſſiſſe etiam *υποδηματα μεχρι ες γονυ φοινικου χρωματος, α δη βασιλεα μονον ρωμαιων τε και περσων υποδεισθαι θεμις*, *calceos uſque ad genu phoenicei, aut coccinei coloris, quae unum Romanorum imperatorem, & Perſarum regem fas eſt ferre*. Huiuſmodi autem coccinei, aut rubri calcei dicebantur mullei a colore rubro, qualis eſt mulli piſcis. Iſidorus: *Mullei ita dicti ſunt a colore rubro, qualis eſt mulli piſcis*. Contra Plinius lib. IX. cap. XVII. mullum piſcem dicit a mulleorum calceorum colore nomen accepiſſe. *Nomen mullis Feneſtella a colore mulleorum calceamentorum datum putat. Mullum expirantem rubentium ſquammarum multiplici mutatione palleſcentem*. Iuxta vero alios ſcriptores iidem hi calcei non coccinei, ſed purpurei erant. Corippus in ſaepius citato Panegyrico Iuſtini minoris, de eodem Iuſtino loquens: lib II. verſ. CIV.

Purpureo ſurae reſonant fulgente cothurno,
Cruraque puniceis induxit regia vinclis &c.
Auguſtis ſolis hoc cultu competit uti.

Refert Ammianus Marcellinus lib: XXXII., cum quidam apud Iulianum accuſaretur, quod chlamydem imperialem coccineam clavis purpureis, & aureis ornatam ſibi parari curaſſet, Iulianum ipſum hanc accuſationem deridentem Comiti largitionis dixiſſe: *Iube periculoſo garritori pedum tegmina dari purpurea ad adverſarium perferenda, quem, (ut datur intelligi) chlamydem huius coloris memorat ſibi conſarcinaſſe, ut ſciri poſſit ſine viribus maximis quid panmuli proficiant leves*. Nicetas Choniates lib. I. Alexium narrat calceis purpureis indutum, cum Imperator renunciaretur. Nicephorus lib. VI. Irenem ait, cum ad imperium eveheretur, purpureis quoque calceis fuiſſe indutam.

Haec autem pugna eodem modo, ac ſuperior, dirimetur, ſi calceos imperatorum, triumphantium, & ſenatorum totos coccineos fuiſſe, ſed purpura clavatos, & ideo coccineos non ſecus, ac purpureos appellatos.

Utebantur vero Graeci calceis non tantum purpureis, ſed etiam aureis, & acu pictis. Epictetus Enchiridii cap. LXI.: *Καταχρυσον υποδημα, ειτα πορφυρουν, ειτα κεντητον*. *Calceus aureus, inde purpureus, inde acu pictus*. CA-

Digitized by Google

CAPUT XLV.

De veſtibus, & vexillis militum.

Milites aliquando purpura induebantur. Aelianus lib. VI. cap. VI.: Φοινικίδα δε αμπεχεσθαι κατα τας μαχας, αναγκη ην. εχειν δε την χροαν και σεμνοτητος τι. προς ταυτη γε μην και την ρυσιν του επιγενομενου αιματος εκ των τραυματων ετι γε μαλλον εκπληττειν τους, αντιπαλους, βαθυτερας της οψεως γινομενης, και φοβερωτερας μαλλον. *Purpuram in praeliis induere neceſſitas fuit. Color ipſe habet neſcio quid auguſti. deinde fluorem ſanguinis e vulneribus occulit. Denique cum purpurae adſpectus acrior ſit, & terribilior, hoſtem percellere poteſt.* Sed plerumque coccineo, aut ſaltem rubicundo herbis parato colore utebantur. Petronius.

Heſperium coccum laudabat miles, eadem
Quaeſitus tellure nitor certaverat oſtro.

Martialis lib. XIII. epig. LXXXVII.

Canuſinae rufae.

Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia rufis,
Et placet hic pueris, militibuſque colos.

Valerius Maximus lib: V. cap. II.: *Lacedaemonii ad diſſimulandum, & occultandum vulnerum ſuorum cruorem puniceis tunicis in praelio utebantur.* Iſidorus: *Ruſſata, quam Graeci phoeniceam vocant, nos coccinam, reperta eſt a Lacedaemoniis ad celandum coloris ſimilitudine ſanguinem.* Trebellius in Claudii Vita commemorat *tunicas ruſſas militares annuas.* Silius Italicus Punicorum lib. III. Carthaginienſes milites *rubrae velamine veſtis* indutos fuiſſe refert. Hinc etiam coccinea tunica ad praetorium appenſa praelii ſignum erat apud Romanos. Plutarchus in Fabii Vita: Αμα δ' ημερα το της μαχης σημειον εξεθηκεν. εστι δε χιτων κοκκινος υπερ της στρατηγικης σκηνης διατεινομενος. *Luce prima ſignum pugnae propoſuit. Eſt autem tunica coccinea ſupra praetorii tabernaculum extenſa.* Idem in Bruti Vita: Προυκειτο μεν τω Βρουτου χαρακι και τω Κασσιου συμβολον αγωνος φοινικους χιτων *Ante Bruti, & Caſſii vallum propoſitum erat pugnae ſignum tunica coccinea.* Et denique in Vita Pompeii: Κατα ταχος προ της σκηνης εκελευσε προθειναι τον φοινικουν χιτωνα· τουτο γαρ μαχης ρωμαιοις εστι συμβολον. *Statim ante tabernaculum proponi iuſſit coccineam tunicam. Hoc enim eſt ſignum pugnae apud Romanos.*

Vexilla autem legionum coccinea erant, & imperatoris album. Polybius de re militari: Και ταυτας μεν πασοι φοινικας, την δε του στρατηγου λευκην. *Haec autem (vexilla) faciunt coccinea, & imperatoris album.* Nomina quoque Imperatorum φοινικοις γραμμασι *puniceis litteris* in vexillis inſcribi conſueviſſe Dion lib. XL. teſtatur.

Lictores denique etiam coccinea veſte magiſtratibus apparebant. Appianus in Libycis: Φοινικους χιτωνας ενδεδυκοτες. Lictores *coccinea veſte induti*

CAPUT XLVI.

De veſtibus muliebribus, & ſtragulis.

Antiquas mulieres veſtibus purpura, & auro clavatis, & etiam totis purpureis, & pictis indutas fuiſſe quis non arbitretur? De Romanis mulieribus affir-

affirmat Valerius Maximus lib. V. cap. II.: *Permiſit quoque bis* (Populus Romanus feminis.) *purpurea veſte, & aureis uti ſegmentis*. Nec non lib. II. cap. I. ubi narrat, quod *Romanis feminis vetitum fuit vinum, ſed quod indulgentibus maritis & auro abundanti, & multa purpura uſae ſunt*. Audivimus cap. XXXII. Iſaiam mulieres Hebraeas hoc nomine incuſantem, & B. Baſilium non minus, ac B. Hieronymum ad imperii Romani matronas incuſationem eamdem traducentes. Audivimus quoque cap. XXVII. T. Livium dicentem, cum lex Oppia revocata eſt, haec vanitatis ſigna mulieribus Romanis reſtituta. Mulieres vero etiam omnium nationum hiſce veſtibus uſas oſtendit Iulius Pollux ubique in ſuo Onomaſtico, & etiam plurima aliorum ſcriptorum teſtimonia, quae hoc ipſo noſtro libello allata ſunt, quaeque huc non ſunt revocanda.

Stragula etiam omnia apud antiquos purpurea erant. T. Livius de revocata lege Oppia loquens lib. XXXIV. cap. I.: *Purpura viri utemur, praetextati in magiſtratibus, in ſacerdotiis, liberi noſtri praetextis purpura togis utentur, magiſtratibus in coloniis municipiiſque, hic Romae infimo genere magiſtris vicorum togae praetextae habendae ius permittemus, nec ut id vivi ſolum habeant tantum inſigne, ſed etiam ut cum eo crementur mortui: feminis dumtaxat purpurae uſum interdicemus? Et cum tibi viro liceat purpura in veſte ſtragula uti, matremfamilias tuam purpureum amiculum habere non ſines? Et equus tuus ſpecioſius inſtratus erit, quam uxor veſtita?* Mappae etiam purpurae memorantur a Petronio in Satyric. cap. XXXII.: *Circaque oneratas veſte cervices laticlaviam immiſerat mappam*. Martialis lib. IV. epigr. XLV.

Et lato variata mappa clavo.

Lampridius in Alexandri Vita: *Convivium neque opimum, neque nimis parcum, ſed nitoris ſummi fuit, ita tamen ut pura mantilia mitterentur, ſaepius cocco clavata*. Nec non purpurei pulvini memorantur ab Athenaeo lib. VI.: Προσκεφαλαια δ' ειχε τρια μεν υπο τη κεφαλη βυσσινα παραλουργη. *Sub capite tres habebat pulvillos ex byſſo purpura clavatos*. De ſtragulis veſtibus purpureis plura allata in hoc libro ſcriptorum teſtimonia loquuntur, nec non Iulius Pollux Onomaſtici lib. IV. cap. XVIII., lib. VII. cap. XIII., & XIV., lib. X. cap. VIII., qui conſulendi.

CAPUT XLVII.

De ſignis Deorum, encauſto, & picturis purpureis.

Signa quoque Deorum hiſce purpureis, coccineis, aureis, aut clavatis, aut pictis veſtibus honoris cauſſa ab antiquis induebantur. Primum itaque Iovis ſigna induebantur tunica palmata, & toga picta, quae nimirum tota purpurea, ſtelliſque aureis erat ornata. Servius ad Eclog. X. Virgilii: *Triumphantes omnia habent Iovis inſignia, ſceptrum, & palmatam togam, qua utebantur illi, qui palmam merebantur*. T. Livius lib. X. cap. III.: *Qui Iovis optimi maximi ornatu decoratus curru aurato per urbem vectus in Capitolium aſcenderit*. Iuvenalis Sat. X. v. XXX.

Quid ſi vidiſſet praetorem curribus altis
Extantem, & medio ſublimem in pulvere circi
In tunica Iovis, & pictae Sarrana ferentem
Ex humeris aulaea togae.

Signa

Signa autem Saturni veſtibus coccineis induebantur. Tertulliauns libro de teſtimonio animae: *Atque id plerumque facit, & vitta Cereris redimita, & pallio Saturni coccinata, & Deae Iſidis linteata*. Idem de pallio cap. IV.: *Cum latioris purpurae ambitio, & Galatici ruboris* (nimirum coccinei ruboris, coccum enim in Galatia plurimum colligebatur, uti cap. XVI. obſervavimus) *ſuperiectio Saturnum commendat*. Plinius lib. VIII. cap. XLVIII. *Servii Tullii praetextae, quibus ſignum Fortunae ab eo dicatae coopertum erat*. Tibullus lib. I. eleg. VII.

Non tibi ſunt triſtes curae, nec luctus, Oſiri,
Sed Tyriae veſtes, & dulci tibia cantu.

Deos Babylonios purpura circumdatos nobis quoque exhibet Ieremias cap. X. verſ. III.: *Hyacinthus, & purpura indumentum eorum, opus artificum univerſa haec*. Nec non Baruchus cap. VI. verſ. XII.: *Opertis autem illis* (Diis) *veſte purpurea extergunt faciem ipſorum propter pulverem domus, qui eſt plurimus inter eos*. Tertullianus denique cap. XVIII. de idololatria loquens de Diis omnibus generatim: *Ceterum purpura, vel cetera inſignia dignitatum, & poteſtatum inſertae dignitati, & poteſtatibus idololatriae ab initio dicata habent profanationis ſuae maculam, cum propterea ipſis etiam idolis induantur praetextae, & trabeae, & laticlavi, faſces quoque, & virgae praeferantur, & merito. Nam daemonia magiſtratus ſunt ſaeculi huius, unius collegii inſignia, faſces & purpuras geſtant*.

Purpureo encauſto, & atramento etiam utebantur antiqui, uti cap. LVII. docebimus.

Tabulas etiam purpureis coloribus pingebant antiqui homines, & hinc eorum picturas ea verſicolori varietate, ſplendore, immortalitate donatas oportuit, quas in noſtris picturis fruſtra forſitan deſideramus. Picturas antiquas Romae, & Neapoli dudum repertas, recentes fere videri audivimus. Fortaſſe a purpureis coloribus id profectum exiſtimamus. Plinius, & Vitruvius pluribus hanc purpuream tabularum, & parietum picturam exſequuntur, qui circa rem hanc non omittendi.

CAPUT XLVIII.

De pretio colorum purpureorum.

Mirificae illae quatuor dotes, quibus antiquae purpurae ſplendebant, uti docuimus, uſus purpurarum earumdem apud principes & ditiores quoſcumque fere ſemper cohibitus, uti docebimus, eximiae laudes denique, quibus antiqui purpureos colores cumularunt, uti ubique hoc libro doctum, & docendum, cauſſam dicunt, pretioſiſſimas apud antiquos habitas fuiſſe eaſdem purpuras. Hinc maximo etiam pretio eaſdem antiquas purpuras conſtare oportuit. Et re quidem vera videmus antiquos ſcriptores omnes fere ſemper coniungere purpuras, margaritas, gemmas, & ſi quae alia tum pretioſiora haberentur. Horatius lib. IV. ode XIII.:

Nec Coae referunt iam tibi purpurae,
Nec clari lapides tempora.

Idem lib. I. epiſt. VI.:

Cum gemmis Tyrios mirare colores.

Et lib. II. epiſt. ultima:

Gemmas, marmor, ebur, Tyrrhena ſigilla, tabellas.

Argentum, veſtes Gaetulo murice tinctas.

Tibullus lib. II. eleg. IV.:

O pereat quicumque legit virideſque ſmaragdos,
Et niveam Tyrio murice tingit ovem.
Hic dat avaritiae cauſſas, & Coa puellis
Veſtis, & a rubro lucida concha mari.

Et lib. II. eleg. XVI.:

Semper in Oceanum mittit me quaerere gemmas,
Et iubet ex ipſa tollere dona Tyro.

Claudianus in IV. Honorii Conſulatum:

Quis iunxit lapides oſtro? Quis miſcuit ignes
Sidonii, rubrique maris?

Plinius lib. IX. cap. XXXV. affirmat, purpurarum pretium pretio margaritarum fere aequalem fuiſſe, quarum margaritarum pretium apud Romanos pretia omnia antecederet: *Sed quota haec portio eſt reputantibus purpuras, conchylia, margaritas? Parum ſcilicet fuerat in gulas abſcondi maria, niſi manibus, auribus, capite, totoque corpore a feminis iuxta viriſque geſtarentur. Quid mari cum veſtibus? Quid undis, fluctibuſque cum vellere? Non recipit haec noſtra rerum natura, niſi nudos. Eſto, ſit tanta ventri cum eo ſocietas. Quid tergori? Parum eſt, niſi qui veſcimur periculis, etiam veſtiamur. Adeo per totum corpus anima hominis quaeſita maxime placent. Principium ergo, culmenque omnium rerum pretii margaritae tenent.* Et mox: *Conchylia, & purpuras omnis ora atterit, quibus eadem mater luxuria paria pene etiam margaritis pretia fecit.*

Sed ad rem propius accedamus. Purpura profecto Tyria prae ceteris omnibus maximo in honore erat. Teſtimonia plurima veterum id probant, quae toto hoc libro proſtant. Horatius lib. I. epiſt. X. illum ſibi magno damno futurum ait, qui ab Aquinati fuco purpuram Tyriam, vel Sidoniam diſtinguere nequiret:

Non qui Sidonio contendere callidus oſtro
Neſcit Aquinatem potantia vellera fucum,
Certius accipiet damnum, propiuſque medullis,
Quam qui non poterit vero diſtinguere falſum.

Ovidius in libro de remedio amoris ipſi purpurae Amyclaeae, ſive Laconicae Tyriam praefert:

Confer Amyclaeis medicatum vellus ahenis
Murice cum Tyrio: turpius illud erit.

Sed certius purpurarum pretium nobis deſignat Cornelius Nepos apud Plinium lib. IX. cap. XXXIX. declarans purpuram violaceam centum denariis, purpuram vero Tyriam mille ſaltem denariis in ſingulas lanae libras ſuis temporibus vendi conſueviſſe: *Nepos Cornelius .... me, inquit, iuvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis centum venibat.... Huic ſucceſſit dibapha Tyria, quae in libras denariis mille non poterat emi.* Iam vero Romanus denarius ſaltem duodecim nummis noſtris, quos *baiocchi* nominamus, conſtabat, ſi argenti abſolutum, & intrinſecum pretium ſpectemus, uti antiquae rei nummariae peritis eſt compertum, Hinc iuxta allatam Cornelii aeſtimationem lanae purpureae violaceae libra duodecim philippeis, quos *ſcudi* appellamus, Tyriae vero rubidae lanae libra centum viginti philippeis, ſive *ſcudi* conſtitiſſet. Athenaeus Deipnoſoph. lib. XII. purpureae

reae lanae pondo argenti pondo aequiparat: Ισοστασιος ην η πορφυρα προς αργυρον. *Aequalis eſt purpura argento*. Fortaſſe loquitur Athenaeus de purpura violacea, quae centum denariis, ſive philippeis duodecim in libras appendebatur, quod fere librae argenti pretium eſt, uti cuique eſt notiſſimum. Hinc aeſtimatio purpurae violaceae tradita a Cornelio optime ab Athenaeo confirmatur. Narrat Martialis lacernas Tyria purpura tinctas ſuis temporibus decem millibus nummum, ſive duobus millibus, & quingentis denariis conſtitiſſe. Ita ille lib. VIII. epigr. X.:

Emit lacernas millibus decem Baſſus
Tyrias coloris optimi.

Et lib. IV. epigr. LXI.:

Millibus decem dixti
Emptas lacernas .

Iam vero iuxta Cornelii aeſtimationem bis mille, & quingenti denarii pretium conſtituebant librarum duarum, & ſemiſſis lanae purpureae Tyriae. Hinc Martialis etiam aeſtimationem Cornelii confirmat, cum duae librae, & ſemis purpureae lanae ſufficere potuiſſent condendae lacernae, quae lacerna breve, & anguſtum pallium erat, quod imperii tempore Romani induebant iuxta Iuvenalem Sat. I. v. XXVII. Sat. IX. verſ. XXIX., Statium lib. II. Silv. I. v. CXXXII. Martialem lib. VI. epigr. LIX., & Feſtum in verbo *Lacerna*. Lacernae igitur Tyriae purpureae Martialis temporibus ſtabant duobus millibus, & quingentis denariis, nimirum philippeis, ſive ſcutis trecentis, ſi ad monetam noſtram referantur.

Purpurae nigrae, lividae, caeruleae, flavae, rubicundae, candidae, & purpurae quinque mixtae, quae pretia habuerint, omnino latet. Dicemus hic quoque tamen, quod veri ſimilius ſit. Coniecturis igitur aſſequi poſſumus, purpuras nigras, & lividas, uti parum ſplendidas, minoris conſtitiſſe: purpuras conchyliatas caeruleas, & flavas, utpote minori ſuccorum copia, & minori ſumptu formatas, quoque minoris conſtitiſſe: purpuram buccini, ut facile evaneſcentem, quoque minoris: purpuras vero rubicundas, & candidas, utpote quae rariſſime ex Perſide, & India ducerentur, & purpuras mixtas, quae duplo maiori ſuccorum copia tingerentur, maioris forſan, quam purpuram ipſam Tyriam fuiſſe. Pretiorum huiuſmodi rationes ex iis, quae ſuperioribus capitibus diximus, clariſſime deſcendunt.

Si itaque libra lanae purpureae violaceae philippeis duodecim, ſi libra lanae purpuerae Tyriae philippeis centum viginti venibat, cuilibet facile erit animadvertere, pretioſiorem quamlibet noſtri temporis tincturam a tanto pretio longiſſime abeſſe. Quid vero dicendum, ſi obſervaverimus, antiquas aetates fere omnes nummis magis inopes fuiſſe, quam aetas ſit noſtra, locupletiſſimam quam reddunt tot aurei, & argentei montes, quos Africa, America, & Aſia tribus fere ab hinc ſaeculis in Europam effudere, & adhuc effundunt? Aetatem ipſam Cornelii Nepotis, & Martialis, licet antiquis omnibus omnino nummis ditiorem, attamen aetate ipſa hac noſtra nummis minus affluentem fuiſſe? Proinde hiſce primis Romani Imperii temporibus, de quibus nunc loquimur, cum nummi rariores, quam nunc eſſent, & inde quadruplo maior ratio, ut ſuſpicor, inter nummos, & pretium reliquarum rerum intercederet, libram lanae purpureae violaceae philippicis quadraginta octo, libram vero lanae purpureae Tyriae philippeis quadringentis octoginta fuiſſe conſtituram? Quod enorme pretium purpurarum exſurget? Quod portentoſum pretium integrae veſtis purpureae Tyriae illiſce tempori-

 bus

bus futurum fuiſſe dicemus? Quid deinde de purpurei ſerici pretio dicendum, cum purpurarum pretio ſerici ipſius pretium cumularetur, quod ſericum aequo pondere auri venibat, ita ut libra ſerici librae auri aequaretur, ut ait Vopiſcus?

Quid quoque dicemus de veſtibus auro clavatis, aut etiam pictis, in quibus praeter purpurae, ſericique pretium, auri pretium, & picturae manupretium graviſſimum adiungeretur? Audimus ſane apud antiquos longe pluris purpureas, & auro pictas veſtes, quam aureas ipſas, aeſtimatas fuiſſe. Epictetus Enchiridii cap. LXI.: Καταπερ και επι του υποδηματος, εαν τον ποδα υπερβης, γιγνεται καταχρυσον υποδημα, ειτα πορφυρουν, ειτα κεντητον. *Uti etiam in calceo, ſi pedis uſum fueris praetergreſſus, fit calceus aureus, inde purpureus, inde acu pictus.* Et Simplicius ad eumdem locum: Ταυτη δε ην ως εοικε παρα Ρωμαιοις και περι τα πορφυρα, και κεντητα περιεργια, ωστε κα των καταχρυσων αυτα προτιμασθαι. *Tanta apud Romanos cura fuiſſe videtur in purpureis, & acu pictis calceis formandis, ut etiam aureis anteponerentur.* Quibus igitur immenſo maioribus pretiis haſce ſericas, & pictas veſtes vendi oportuit?

C A P U T X L I X.

De ſumptibus in coloribus purpureis condendis.

PRoficiſcebantur quidem haec immania pretia a quatuor illis mirificentiſſimis purpureorum colorum dotibus, quas ſuperioribus capitibus enarravimus. Sed proficiſcebantur etiam non minus ab immani ſumptu, qui in legendis, & parandis tot conchyliis requirebatur. Huiuſce rei ergo referamus Plinii locum in lib. IX. cap. XXXVI. dicentis, buccinorum libras ducentas, purpurarum libras centum, & decem ad tingendas purpura decem laneas libras fuiſſe requiſitas. *Summa medicaminum in libras X. vellerum, buccini CC.. pelagii CX.*

Hinc alium eiuſdem Plinii locum producamus in lib. IX. cap. XL. aſſerentis, alia aliis conchyliis pretia fuiſſe pro littorum fertilitate, vel ſterilitate, nuſquam vero purpurarum libram quinquaginta nummos exceſſiſſe, buccinorum vero libram centum nummos exceſſiſſe. *Pretia medicamento ſunt quidem pro fertilitate littorum viliora. Non tamen uſquam pelagii libras quinquagenos nummos excedere, & buccini centenos ſciant, qui iſta mercantur immenſo.*

Repetamus denique locum Cornelii apud Plinium lib. IX. cap. XXXIX. dicentis, violaceam purpuram centum denariis, Tyriam mille denariis in libras emi conſueviſſe: *Me iuvene, violacea purpura vigebat, cuius libra denariis centum venibat. Succeſſit dibapha Tyria, quae in libras denariis mille non poterat emi.*

Ex hiſce tribus locis facile rationem ſumptus, & lucri ſubducere poterimus. qui ſumptus, & lucrum ab antiquis purpurariis infectoribus haberetur. Et quidem primo rationem ſumptus, & lucri, quod antiqui artifices haberent in condenda purpura Tyria, ineamus. Liceat hic claritatis gratia numeris Arabicis, aut Indicis uti.

Pondo igitur buccinorum venibat utplurimum nummis. 100. denariis 25., pretio noſtro ſcut. 3.

Hinc pondo 200. buccinorum, nimirum quot ad inficiendas 10. lanae libras requirebantur, memorata ratione aeſtimationem datura erant denariorum 5000., pretii noſtri ſcut. 600.

Pon-

Pondo quoque purpurarum venibat utplurimum nummis 50. denariis $12\frac{1}{2}$, pretio noſtro ſcut. 1. 50.

Hinc quoque librae 110. purpurarum, quot nimirum ad inficiendas 10. lanae libras requirebantur, eadem ratione daturae erant aeſtimationem denariorum 1355., pretii noſtri ſcut. 162.

Sumptus, in ligna, & artifices probabili hypotheſi conficere potuerunt denarios 635., pretium noſtrum ſcut. 76. 20.

Et proinde ſumptus omnes, qui in tingendis 10. lanae libris requirebantur, conſtituiſſent ſummam denariorum 7000., pretii noſtri ſcut. 840.

Iam vero librae 10. lanae purpureae Tyriae venibant minimum denariis 10000., pretio noſtro ſcut. 1200.

Si igitur ſumma ſumptuum, quae erat denariorum 7000., ſubtrahatur a ſumma pretii, quae erat denariorum 10000., clare emerget, lucrum artificum pro ſingulis 10. lanae purpureae Tyriae libris futurum fuiſſe denariorum 3000., pretii noſtri ſcut. 360.

Secundo loco vero rationem ſumptus, lucrique diſpiciamus, quod in condenda purpura violacea facerent antiqui purpurarii artifices. Ratio erit aeque clara, & nitida, propterea quod quemadmodum purpurae violaceae pretium, quod erat denariorum 100. in ſingulas libras, rationem habet ſubdecuplam ad purpurae Tyriae pretium, quod erat denariorum 1000. in ſingulas libras, ita haec eadem ſubdecupla ratio rem ipſam pari claritate demonſtrabit.

Ex memorata igitur ſubdecupla ratione buccinorum libra venire debuit nummis 10. denariis $2\frac{1}{2}$, pretio noſtro ſcut. = 30.

Hinc buccinorum librae 200., quot nimirum ad 10. lanae libras tingendas uſui erant, ipſa ratione dediſſent aeſtimationem denariorum 500., pretii noſtri ſcut. 60.

Ita quoque purpurarum libra venire debuit nummis 5. denariis $1\frac{1}{4}$ pretio noſtro ſcut. = 15.

Hinc etiam librae 110. purpurarum, quot nimirum ad tingendas 10. lanae libras opus erant, dediſſent aeſtimationem denariorum $137\frac{1}{2}$ pretii noſtri ſc. 16. 50.

Sumptus ipſi in ligna, & artifices per eamdem probabilem hypotheſim facturi fuerant ſummam denariorum $62\frac{1}{2}$, pretii noſtri ſcut. 7. 50.

Et proinde ſumptus omnes, qui in tingendis 10. lanae libris requirebantur, conſtituiſſent ſummam denariorum 700., pretii noſtri ſcut. 84.

Iam vero lanae librae 10. violacea purpura infectae pendebant denariis 1000., pretio noſtro ſcut. 120.

Si igitur ſumma ſumptuum, quae erat denariorum 700., ſubtrahatur a ſumma pretii, quae erat denariorum 1000., aeque clare patebit, in ſingulas 10. lanae purpureae violaceae libras artificibus futurum fuiſſe lucrum denariorum 300., pretii noſtri ſcut. 36.

Hic tamen animadvertere iuvat, locum primum Plinii, quem hoc capite

rec-

retulimus, ita in omnibus fere editionibus legi. *Summa medicaminum in libras vellerum buccini CC., pelagii CX.* Nimirum libras 200. buccinorum, libras 110. purpurarum requiſitas fuiſſe ad tingendas non iam 10: libras, uti diximus, ſed lanae libram unam tantum. Verum locus ita expreſſus mendo graviſſimo ſcatet. Vidimus enim hoc eodem capite, libram lanae purpureae Tyriae denariis 1000. vendi conſueviſſe: Vidimus quoque capite hoc eodem, libras 200. buccinorum, libras 110. purpurarum una cum pretio lignorum, & artificum conſtituiſſe ſummam denariorum 7000. Quomodo igitur fieri poterit, ut libra lanae purpureae Tyriae denariorum 7000. impenſam ferret, & deinde denariis mille venderetur? Quomodo fieri potuit, antiquos artifices denariorum 7000. ſumptum feciſſe, ut denarios 1000. tantum redigerent? Huic primae, & graviſſimae obſervationi altera non minor adiungatur. Vidimus hoc capite, ad inficiendas ſive unam, ſive decem libras, fuiſſe requiſitas libras 200. buccinorum, libras 110. purpurarum. Vidimus quoque cap. XXIV. ad temperandam hanc ſummam integram librarum 310., quae a medicaminibus, nimirum a venis, carnibuſque buccinorum, & purpurarum conſtitueretur, amphoras duas, ſive libras 160. aquae miſceri conſuevisse, nimirum ut tertia pars aqua, duae tertiae partes memoratis venis conſtarent. Hac ratione igitur quantitatem librarum 470. liquidae huius mixturae confici oportuit. Iam vero poſtulemus, quantitatem hanc librarum 470. deſpumatione carnium, fervore, & evaporatione redigi tandem potuiſſe ad unas libras 20. Verum enimvero libras 20. huiuſce craſſioris medicaminis, & quaſi cocti glutinis, ſatis ſuperque uni librae lanae tingendae ſuppetituras nemo ibit inficias. Harduinus, qui antiquarum Plinii editionum erroribus alios complures de ſuo penu conſarcinavit, hic mendum ſubeſſe ſenſit, & audacter numerum L. adiecit, ita locum Plinii legens: *Summa medicaminum in libras L. vellerum buccini CC., pelagii CX.* Arburtnotius vero in ſuis tabulis de antiquis nummis, diſſertatione de Romanorum re nummaria cap. IX. etiam numerum C. adiiciendum ſtatuit, ita legens. *Summa medicaminum in libras C. vellerum buccini CC, pelagii CX.* Sed perperam uterque. Librae enim 50, quas Harduinus conſtituit, iuxta Cornelii aeſtimationem non minus certe denariis 50000. conſtitiſſent, quemadmodum librae 100. lanae, quas conſtituit Arburtnotius, non minus quam denariis 100000. iuxta eamdem Cornelii aeſtimationem conſtitiſſent. Impenſae omnes vero, quae in tingendis hiſce ſive 50., ſive 100. lanae libris requirerentur, iuxta Plinii aeſtimationem ſummam denariorum 7000. non exceſſiſſent, uti capite hoc ipſo obſervavimus. Quis autem non videat immane, & incredibile artificum futurum fuiſſe lucrum, ſi denarios 7000. tantum impendiſſent, pretium vero denariorum 50000., aut 100000. ex venditione percepiſſent? Nos vero numerum X. tantum adiecimus, & ita legimus locum. *Summa medicaminum in libras X. vellerum buccini CC., pelagii CX.*, nimirum libras 200. buccinorum, libras 110. purpurarum ad tingendas 10. lanae libras uſui fuiſſe. Si enim 7. libras poſuiſſemus, cum 7. librae lanae purpureae 7000. denariis venderentur, & ſumptus 7000. denariorum haberetur, nullum artificum futurum fuiſſet lucellum. Si vero 14. libras poſuiſſemus, cum eaedem librae 14. denariis 14000. venderentur, & unus ſumptus denariorum 7000. haberetur, certe duplo maius, & proinde nimium artificum eorumdem fuiſſet lucellum. Mediam viam itaque tutiſſimam elegimus, & X. libras repoſuimus, dedimuſque artificibus 3000. denariorum lucellum in ſingulas lanae purpureae 10. libras, quod lucrum, utpote trientem pretii non excedens, aequiſſimum eſſe quivis iudicabit. CA-

CAPUT L.

De pretio coloris coccinei, & herbaceorum.

Coccinei coloris aeſtimatio ſuppar fere fuit colorum purpureorum aeſtimationi. Antiqui ſcriptores id primum demonſtrant, qui ſimul fere ſemper coccineum, & purpureos colores nominant. Lucretius de rerum natura lib. II.:

Purpuros, phoeniceuſque color clariſſimu' multo.

Tibullus lib. II. eleg. III.

Illi ſelectos certent praebere colores
Africa puniceum, purpureumque Tyros.

Martialis lib. IV. epigr. XXVIII.

Donaſti tenero, Chloe, Luperco
Hiſpanas, Tyriaſque, coccinaſque.

Et lib. II. epigr. XXXIX.

Coccina famoſae donas, & ianthina moechae.

Svetonius in Neronis Vita: *Piſcatus eſt reti aurato, purpura, coccoque funibus textis.* Plurimos etiam alios ſcriptores ad hanc rem cap. XIX. dedimus, qui repetendi. Eamdem ipſam colorum purpureorum, & coccinei fere aequalem aeſtimationem confirmat etiam uſus promiſcuus & coccinei coloris, & purpureorum, qui apud antiquos vigebat, in chlamyde, aut paludamento imperatorio, in conſulari trabea, ceteriſque veſtibus inſignioribus, quemadmodum ſuperioribus docuimus capitibus. Color denique ipſe id demonſtrat, qui, cum rubicundus ſit, vividiſſimus, & gratiſſimus eſt colorum omnium, quos fixos, & conſtantes nominamus.

Hinc pretium ipſum coloris coccinei ſummum eſſe debuit, non ob eam tantum aeſtimationem, quam diximus, ſed etiam ob graves ſumptus, quos comparatio cocci, quae erat extera, & longe petita galla, poſtulabat.

Hoc pretium tamen ad graviſſimum illud colorum purpureorum pretium acceſſiſſe minime putamus. Forſitan etiam mollities, immortalitas, ſplendor, verſicolor color, quae quatuor eximiae dotes antiquas purpuras adeo commendabant, cariſſimaſque reddebant, coccineum colorem non omnino comitabantur. Id ſignificare videtur Martialis ipſe lib. II. epigr. XLIII.

Miſit Agenoreas Cadmi tibi terra lacernas,
Non vendes nummis coccina noſtra tribus.

Immo id fortaſſe a natura ipſa coloris coccinei proficiſci potuit, qui inter fixos naturae colores profecto vividior, nimium oculos intuentium praeſtringeret, nec ſplendentes quidem, ſed blande, & identidem ſplendentes, purpureos verſicolores colores imitaretur. Hinc vidimus Martialem lib. XIV. epigr. CXXIX. affirmantem, hunc coccineum colorem pueris, militibuſque acceptiorem, quam ceteris fuiſſe:

Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia rufis,
Et placet hic pueris, militibuſque color.

Plurimoſque etiam ad hanc rem alios ſcriptores cap: XLV. attulimus, ad quos, ne actum agamus, remittimus lectores.

Si vero maximum erat colorum purpureorum pretium, ſi coloris coccinei ſecundum, minimum quidem pretium colorum eſſe debuit, qui herbis pararentur. Iam audivimus, Ovidium lib. III. de arte amandi v. CXLVIII. iuvenculas monentem, ne cenſus integros in coemendis purpureis veſtibus abſumerent, ſatiſque ha-

haberent veſtibus ſucco herbarum tinctis, & minoris conſtantibus veſtiri.

Quid de veſte loquar? Nec vos, ſegmenta, requiro,
Nec quae bis Tyrio murice lana rubes.
Cum tot prodierint pretio leviore colores,
Quis furor eſt cenſus corpore ferre ſuo?
Aeris ecce color....

Eodem referendus Martialis lib. VI. epigr. II.

Te Cadmea Tyros, me pinguis Gallia veſtit.

Idem quoque Martialis Baſſum quemdam ridet, qui coloribus herbarum ſemper indutus ſolemnibus ludorum diebus, ut Romanus eques putaretur, coloribus tantum purpureis, aut coccineis ornatus prodiret. Ita ille lib. V. epigr. XXIII.

Herbarum fueras indutus, Baſſe, colores,
Iura theatralis cum ſiluere fori.
Quae poſtquam placidi cenſoris cura renaſci
Iuſſit, & Oceanum certior audit eques:
Non niſi vel cocco madida, vel murice tincta
Veſte nites, & te ſic dare verba putas.
Quadringentorum nullae ſunt, Baſſe, lacernae:
Aut meus ante omnes Codrus haberet equum.

C A P U T L I.

De inventione purpurarum.

TEmpus illud, quo purpurei colores ſint inventi, omnino latet. Eorumdem ſaltem inventio omnia hiſtorica tempora excedit, & denſiſſima antiquitatis caligine obſepitur. Si Graecos audiamus, huiuſce admirandae artis Hercules Tyrius inventor perhibetur. Iulius Pollux Onomaſtici lib. I. cap. IV.: Ερω περι πορφυρας, οπως την αρχην ευρεθη. Τυριοι λεγουσιν, ως Ηρακλης ηρασθη νυμφης επιχωριας. τυρος δ᾽ ην τη νυμφη τουνομα. ειπετο αρα τω Ηρακλει και κυων, κατα τον παλαιον νομον. Οισθα δε οτι τοις ηρωσι συνειστηκεσαν μεχρι της εκκλησιας οι κυνες. Ο τοινυν ηρακλειος κυων, κατα πετραν εντυχων πορφυραν θεασαμενος, προεχουσας αυτη της σαρκος, ενδακων, ο μεν την σαρκα ποιειται τροφην, ο δε λυθρος αρα τα χειλη του κυνος αιμαξας εφοινιξεν. ως δε ηκεν ὁ ηρως παρα την κορην, αυτη θεασαμενη τα χειλη του κυνος ανθουντα κηθει βαφη, ουκ εφη μροτησεσθαι του λοιπου τον Ηρακλεα, ει μη αυτη κομισειεν εσθητα των του κυνος χειλων ευειδεστεραν. Ο μεν τοινυν Ηρακλης, εξευρε τε τον ζωον, και τον λυθρον ανελεξατο, και το δωρον εκομισε τη κορη, πρωτος γενομενος ευρετης τω τυριω λογω της φανιστης βαφης. *Quo pacto purpura ſit inventa, exponam. Hercules, ut Tyrii tradunt, nymphae cuiuſdam indigenae, cui Tyrus nomen fuit, amore captus eſt. Hunc vero, ut apud veteres mos erat, ſequebatur canis. Scis enim quod canes heroas ad concionem uſque ſequebantur. Canis autem Herculeus repentem in petra quadam purpuram conſpicatus prominentem eius carnem mordicus arripuit, ipſamque carnem comedit, ſanguis vero canis labia cruentans rubuit. Ut autem ad puellam Heros pervenit, haec canis labia inſolito colore tincta conſpiciens. Herculi poſthac, niſi ipſi veſtem caninis labiis ſpecioſiorem afferret, congreſſum negavit, Hercules itaque animal invenit, cruorem collegit, & amicae munus attulit, primus, ut Tyrii teſtantur, purpurei coloris inventor.*

Audia-

Audiamus quoque Palaephatum in Chronico Paſchali tom IV. hiſtoriae Byzantinae: Εν δε τοις χρονοις της βασιλειας του φοινικου ην Ηρακλης ο φιλοσοφος ο λεγομενος τυριος, οστις εφευρε την κογχυλην. Εωριζομενος γαρ επι το παραλιον μερος της τυρου πολεως, ιδε ποιμενικον κυνα εσθιοντα την λεγομενην κογχυλην, οπερ εστι μικρον ειδος θαλασσιον κοχλιωδες, και ποιμενα νομιζοντα αιμασσειν τον κυνα, λαβοντα απο προβατου ποκον ερεας, και καταμασσοντα το καταφερομενον εκ του στοματος του κυνος, και βαπτοντα τον ποκον. Ο δε Ηρακλης προσεσχηκως μη ειναι αυτο αιμα, αλλα βαμματος παρα ξενου αρετην, εθαυμασε, και γνους οτι εκ της κογχυλης εστι το βαμμα, του ποκου, ειληφως εκ του ποιμενος τον ποκον, ως μεγα δωρον, τουτον προσηγαγε τω βασιλει της τυρου φοινικι. Και εκπλαγεις η αυτος επι τη θεα της ξενης χροιας του βαμματος, θαυμαζων της αυτου ευρεσιν, εκελευσεν εξ αυτου του βαμματος της κογχυλης βαφηναι ερεαν, και γενεσθαι αυτω περιβολαιον εκ πορφυρας, και παντες εθαυμασαν την βασιλικην εσθητα, ως ξενην θεαν. *Ea tempeſtate, qua Phoenix regnabat, vixit Hercules philoſophus, Tyrius cognominatus, qui primus purpuram invenit. Cum enim circa maritima Tyri littora ſpatiaretur, paſtorium vidit canem, qui oſtreum, quod conchylium dicitur, parvumque eſt genus conchae marinae, mandebat, ac paſtorem, qui ſanguinem emittentem canem obſervarat, arrepto ex ove vellere, quod ab ore canis profluebat exterſit, ipſo ex eo tincto vellere. Cum id non ſanguinem, ſed peregrini alicuius liquoris virtutem eſſe animadvertiſſet Hercules, obſtupuit, ſtatimque acceptam a paſtore lanam, quam ſucco illo conchylii tinctam noverat, ad Phoenicem Tyri regem magni loco muneris detulit, qui & ipſe attonitus novi, & inſoliti coloris tincturae aſpectu, illiuſque inventionem admiratus, conchylii liquore lanas infici praecepit, & ex iis regiam ſibi veſtem confici, ſicque primus purpureum veſtimentum geſtavit, adeo ut ad regiam veſtem, tamquam ad inuſitatum hactenus ſpectaculum univerſi obſtupeſcerent.* Eadem vero narrant Achilles Tatius de Clitophontis, & Leucippes amoribus lib. II., Georgius Cedrenus relatus in tom. VIII. hiſtoriae Byzantinae, Suidas in voce Ηρακλης, aliique Graeci ſcriptores, quos brevitatis gratia mittimus. Nec iam contenti fuere Tyrii vulgatis hiſce Graecorum ſcriptorum narrationibus, quae inventae purpurae decus urbi Tyriae, & Herculi Tyrio clariſſime tribuerent, ſed narrationem eamdem in ſuis Tyriis nummis ubique expreſſere, in quibus fere omnibus concha purpura exhibetur, & in nonnullis etiam non tantum concha purpura, ſed etiam canis, & Hercules leonis ſpolio indutus exprimuntur, ut gloriam ipſam purpurae apud Tyrum, & ab Hercule Tyrio inventae teſtatiorem facerent. Nummi hi Tyrii in libris, & in muſeis rei antiquae nummariae peritorum ubique proſtant, eorumque exemplaria duo prima libri fronte dedimus, ad quae lectores revocamus.

Si igitur Tyrius ille Hercules, qui purpuram invenit, coaevus fuit aedificationi Tyri, puellae Tyro, quae urbi nomen dedit, & Phoenici primo Tyriorum regi, uti Graecae narrationes referunt, quas produximus, clare ſequetur, purpurae inventionem aedificationi Tyri ipſius coaevam fuiſſe, aut certe non antiquiorem. Annus igitur conditae Tyri idem erit fere annus inventae purpurae. Cum Tyrus itaque condita fuerit circa an. CIƆCCXL. ante chriſtianam epocham, uti Ioſephus Hebraeus in ſua hiſtoria teſtatur lib. VIII. cap. II., & uti chronologi omnes conſentiunt, eodem proinde anno CIƆCCLX. ante chriſtianam epocham iuxta Graecas narrationes eaſdem purpuram inventam fuiſſe oportuit.

Optime ſane confirmatum inventum purpurae videri poſſet, niſi Graecos

men-

mendaces, vel pueros in hiſtoria ſemper fuiſſe cognoſceremus. Fabella enim pura in hiſce narrationibus ſubolet, & aliunde certum eſt, Moſem ipſum tercentis fere annis condita Tyro, & Phoenice, & Hercule Tyrio antiquiorem purpuris eſſe uſum, prout mox enarrabimus. Credere mavult Bochartus Hierozoicon part. II. lib. V. cap. IX., fabellam canis, qui purpuram inveniſſe dicatur, a quadam voce Phoenicia ortam eſſe, quae non minus infectorem, quam canem ſignificaret, & hinc luſum fabellae Tyriae, quam retulimus, enatum. Satius vero fuerit, ſi credamus fortuitum eventum profecto, (caſui enim omnium fere artium origines deberi quis neſciat?) caſum, inquam, & fortaſſe canis ipſius caſum, qui reptans in littore conchylium cum comediſſet, labiis purpureo conchylii ejuſdem colore tinctis primum viſus fuerit, huic admirandae arti originem praebuiſſe, ſed hunc caſum neque Herculis Tyrii, neque Phoenicis primi Tyriorum regis, neque conditae Tyri temporibus contigiſſe, propterea quod hi Heroes, vel inventae purpurae longe poſteriores fuerint, vel uti fabuloſi, & ficti homines nullo unquam tempore inter vivos extiterint. Ita Caſſiodorus lib. I. epiſt. II. canis eventum, uti veriſimilem inventae purpurae cauſſam agnoſcens, fabuloſa illa nomina reticuit, & omiſit. *Verum talis, tantaque res quam facili legitur inventa compendio! Nam cum fame canis avida in Tyrio littore proiecta conchylia impreſſis mandibulis contudiſſet, illa naturaliter humorem ſanguineum defluentia, ora eius mirabili colore tinxerunt: & ut eſt mos hominibus, occaſiones repentinas ad artes ducere, talia exempla meditantes fecerunt principibus decus nobile de re, quae ſubſtantiam noſcitur habere mediocrem.*

Miſſas igitur haſce Graecas fabellas nos libentes volentes faciamus, & ſerio affirmemus, Moſem divinum illum Hebraeorum legis latorem tercentis fere annis condita Tyro, puella Tyro, Hercule, & Phoenice antiquiorem, mille, & quingentis annis chriſtianae epochae ſuperiorem, ſcriptorum omnium parentem, & ducem, non tantum purpuras commemoraſſe, ſed etiam purpuras ipſas in velis tabernaculi, & veſtibus ſummi ſuorum Hebraeorum ſacerdotis ornandis adhibuiſſe. Ita ipſe Exodi cap. XXXVI. num. VIII. iuxta vulgatam verſionem, quam hocce loco nulli criticorum convellunt. *Feceruntque omnes corde ſapientes ad explendum opus tabernaculi cortinas decem de byſſo retorta, & hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto.* Et num. XXXV.: *Fecit & velum de hyacintho, purpura, vermiculo, ac byſſo retorta.* Et num. XXXXI.: *Fecit & tentorium in atrio tabernaculi ex hyacintho, purpura, vermiculo, byſſoque retorta, opere plumario.* Et denique cap. XXXIX. num. I.: *De hyacintho vero, & purpura, vermiculo, ac byſſo fecit veſtes, quibus indueretur Aaron.*

Moſes igitur certiſſimam nobis epocham non iam inventae, ſed primum commemoratae purpurae conſtituit, ſane & ipſam antiquam epocham, utpote quae mille, & quingentis fere annis chriſtianam epocham ſuperet, & excedat. Obſervare immo etiam liceat, Moiſem ipſum, cum paucis poſt fugam ab Aegypto menſibus in Arabica ſolitudine vela, & veſtes purpureas adhibuerit, nulla alia vela purpurea, nullas purpureas veſtes poſſidere potuiſſe, quam veſtes illas ditiſſimas, quas Aegyptios ipſos Hebraeis credidiſſe legimus, cum celebri illa nocturna fuga ſe ex Aegypto proriperent, ut in Exodo habetur. Hinc etiam adfirmare poſſumus, Aegyptios, ceteroſque orientales populos etiam ante Moſis aetatem purpureis coloribus uſos: verum a quo tempore populi iſti Moſe antiquiores purpura uſi fuerint, omnino ignoratur, cum monumenta illius temporis omnia omnino nos deficiant, & ſemper ſint defectura. CA-

CAPUT LII.

De uſu purpurarum apud omnes antiquiores nationes, & Romanos uſque ad regifugium.

SEcundum vero Moyſis aetatem apud omnes fere antiquas gentes hae purpurae paſſim uſurpatae, & vulgatae videntur. Praeter enim Hebraeam gentem, quae a Moyſis tempore purpuras ſemper adhibuit, ut ſacrae eorum hiſtoriae paſſim teſtantur, legimus in libro Iudicum cap. VIII. num. XXVI. Madianitarum reges a Gedeone occiſos purpura indutos fuiſſe: *Expandenteſque ſuper terram pallium, proiecerunt in eo inaures de praeda, & fuit pondus poſtulatarum inaurium mille ſeptingenti auri ſicli, abſque ornamentis, & monilibus, & veſte purpurea, quibus reges Madian uti ſoliti erant.* Hanc vero regum Madianitarum caedem an. CIϽCCXLI. ante chriſtianam epocham, tempore nimirum fere ipſo, quo condita Tyrus, eveniſſe, & proinde hos ipſos Madianitarum reges ante Phoenicem, & Herculem Tyrium purpura eſſe uſos, notandum putamus.

Narrat Ovidius Metamorphoſeon lib. VI. Idmonem Arachnes patrem, purpurarium artificem in minori Aſia ante bellum Troianum fuiſſe, & Arachnem, ipſam, & Minervam, cum de texendi principatu contenderent, purpurea fila texiſſe.

pater huic (Arachne) *Colophonius Idmon*
Phocaico bibulas tingebat murice lanas...
Illic & Tyrium quae purpura ſenſit abenum
Texitur.

Et Troes, & Graios principes in Troiano bello purpura inſignes ſaepius nobis deſcribit Homerus. Siquidem Odyſſ. IV. verſ. CXV. ubi deſcribit Telemachum lugentem, cum patrem audiſſet commemorari, ait ipſum χλαιναν πορφυρεην, *veſtem purpuream*, dignam regio puero obtendiſſe oculis utraque manu, quod repetit inferius verſ. CLIV. ut nunc parcam πορφυρεοις πεπλοισι *purpureis peplis*, quibus oſſa Hectoris in auruem loculum reponenda contegerentur Iliad. XXIV. verſ. DCCXCVI., atque etiam praeteream ρηγεα καλα πορφυρεα *ſtragula pulcra purpurea*, quae Argiva Helena ancillis praecepit iniicere cubilibus. Odyſſ. IV. Verſ. CCXCVIII.

Idem etiam confirmat Plinius lib. VIII. cap. XLVIII.: *Pictas veſtes iam apud Homerum fuiſſe accipio.*

Babylonios Deos purpura onuſtos inducunt Ieremias, & Baruchus, uti cap. XLVII. obſervavimus. Babylonios ipſos, & Aegyptios purpura indutos nobis deſcribit Tertullianus de Idololatria cap. XVIII.: *Igitur purpura illa, & aurum cervicis ornamentum, eodem more apud Aegyptios, & Babylonios inſignia erant dignitatis.* Uti etiam Perſas, & Lydos Dionyſius lib. III.: Στεφανον τε χρυσεον, και θρονον ελεφαντινον, και σκηπτον αετον εχον επι της κεφαλης, χιτωνα τε πορφυρον χρυσοσημον, και περιβολαιον ποικιλον, οια Λυδων τε και Περσων εφορουν οι βασιλεις. *Coronam auream, & ſellam eburneam, ſceptrumque in ſummitate habens aquilam, & purpuream tunicam aureo clavo ornatam, & togam pictam, qualia Lydorum, & Perſarum reges geſtant.*

Antiquiſſimos vero noſtros Etruſcos, & Pelaſgos cum omnibus artibus, tum vero maxime purpurea arte nobiles fuiſſe cuilibet compertum eſt. Praetextam

 ſane

ſane apud Etruſcos originem habuiſſe affirmat. Feſtus: *Senex cum toga praetexta, bullaque aurea, quo cultu reges ſoliti ſunt eſſe Etruſcorum*. Plinius lib. VIII. cap. XLVIII. *Praetextae apud Etruſcos originem invenere*. Immo Etruſcos, & Pelaſgos ipſos inter ceteras artes etiam purpurae uſum Romanis tradidiſſe exploratum habemus.

Certe enim Romulum purpuram ab Etruſcis primum habuiſſe ſatis conſtat. T. Livius de Romulo loquens lib. I. cap. IV.: *Me haud poenitet eorum ſententiae eſſe, quibus & apparitores, & hoc genus ab Etruſcis finitimis, unde toga praetexta ſumpta eſt, numerum quoque ipſum* (*lictorum*) *ductum placet*. Plinius lib. IX. cap. XXXIX.: *Purpurae uſum Romae ſemper fuiſſe video, ſed Romulo in trabea*. Plutarchus in Romuli Vita: Αλουργη μεν ενεδυετο Χιτωνας, και τηβεννον εφορει περιπορφυρον. *Induebatur purpureas tunicas, & togam ferebat praetextam*. Idem Plutarchus ait ibidem in ludis pro celebri Sabinarum raptu celebratis adfuiſſe Romulum purpura indutum: Αυτος δε (ο Ρομυλος) περιεκαθητο μετα των αριστων αλουργιδι κεκοσμημενος. Ιω δε του καιρου της επιχειρησεως συμβολον, εξαναστα την αλουργιδα πτυξαι και περιβαλεσθαι παλιν. *Ipſe cum optimis praeſedit purpura ornatus. Signum aggrediendi negotium hoc erat conſtitutum, cum ipſe ſurgens purpuram complicaſſet, rurſuſque explicatam indueret*.

Alii autem tradunt Numam a Pelaſgis purpurae uſum accepiſſe. Georgius Cedrenus in tom. VIII. hiſtoriae Byzantinae: Μετα γουν χρονους πολλους οι ρωμαιοι των φοινικων χωραν κατασχοντες, το εξ αρχης αληθινον εκ της κογχυλης σχημα βασιλικον εφορεσαν. Μετα δε Ρεμον και Ρομυλον Νουμας βασιλευσας Ρωμαιων, και δεξαμενος πρεσβευτας εκ της χωρας των λεγομενων πελασγων, φορουντας Χλαμυδας εχουσας ταβλια ρουσια, καθαπερ οι απο της Ισαυριας χωρας, και τερφθεις τω σχηματι, επενοησε πρωτος εν τη Ρωμη χλαμυδας φορεισθαι, τας μεν βασιλικας πορφυρας εχουσας ταβλια χρυσεα, τας δε των συγκλητικων, και τας των εν αξιαις και στρατειαις χλαμυδας εχουσας σημαντρα της βασιλικης φορεσιας, ταβλια πορφυρα δηλουντα αξιαν Ρωμαικης πολιτειας και υποταγην διαγωγης. *Longo poſt tempore Romani Phoenicia ſubacta, purpuram ab antiquo tempore verum regium amictum adbibuerunt. Numa, qui poſt Remum, & Romulum regnavit, cum ad eum legati Pelaſgorum veniſſent, chlamydes induti habentes clavos aut limbos purpureos, quales etiam Iſauri geſtant, ea forma delectatus, primus inſtituit, ut a Romanis chlamydes geſtarentur, a regibus purpureae praetextae auro, a ſenatoribus, & iis, qui cum magiſtratu, aut imperio eſſent, aliae quae pro indicio regii geſtaminis purpura eſſent praetextae, quo ſignificaretur Romanae reipublicae dignitas, & ſubiectio*. Id confirmat etiam Suidas in voce *Chlamys*, ſed ridendo errore a Pelaſgis Italicis ad Aſiaticos Iſauros rem transferens: Νουμας ο πρωτος Ρωμαιων βασιλευς πρεσβειαν Ισαυρων δεξαμενος, και το σχημα της φορεσιας αυτων καταμαθων εξ αυτων λαβων εφευρε την χλαμυδα στολην ουκ εξωθεν επιθεις, αλλ᾽ εσωθεν εμβαλων την της πορφυρας βαφην. *Numa Romanorum rex, cum primus accepiſſet Iſaurorum legationem, figuram veſtis eorum admiratus, uſum eorum accipiens, geſtavit chlamydem, non ab exteriori parte immittens, ſed ab interiori parte emittens purpuram*.

Alii quoque adfirmant Tullum Hoſtilium tertium Romae regem purpuram ab Etruſcis ad Romanos tranſtuliſſe. Ita Macrobius Saturnal. lib. I. cap. VI. *Tullus Hoſtilius Hoſti filius tertius Romanorum rex debellatis Etruſcis ſellam curulem, lictoreſque, & pictam, quae inſignia magiſtratuum Etruſcorum erant,*

pri-

mus, ut Romae haberentur, inſtituit. Plinius lib. IX. cap. XXXIX: *Toga praetexta, & latiore clavo Tullum Hoſtilium e regibus primum uſum, Etruſcis devictis, ſatis conſtat*. Euſebius in Chronico: *Tullus Hoſtilius primus regum Romanorum purpura, & faſcibus uſus eſt*. Caſſiodorus quoque in Chronico: *Tullus Hoſtilius primus apud Romanos purpura uſus eſt*.

Alii tandem Tarquinium Priſcum ab Etruſcis purpuram primum Romam invexiſſe tradunt. Dionyſius lib. III. Ταυτας λαβοντες οι πρεσβεις τας αποκρισεις εχοντο, και μετ᾽ ολιγης ημερας παρησαν ου λογους αυτω μονον φεροντες ψιλους, αλλα και συμβολα της ηγεμονιας, οις εκοσμουν αυτοι τους σφετερους βασιλεις κομιζοντες στεφανον τε χρυσεον και θρονον ελεφαντινον και σκηπτρον αετον εχω επι της καφαλης, χιτωνα τε πορφυρουν χρυσοσημον και περιβολαιον ποικιλον, οια Λυδων τε και Περσων εφορουν οι βασιλεις. *Hiſce verbis legati* (Etruſcorum a Tarquinio) *dimiſſi paucos poſt dies redeunt, non nuda verba ferentes tantum, ſed etiam principatus inſignia quibus ſuos reges ornare conſueverant, ideſt coronam auream, ſellam eburneam, ſceptrum in ſummitate habens aquilam, tunicam purpuream auro clavatam, & togam pictam, qualia Lydorum, & Perſarum reges geſtabant*. Florus lib. I. cap. XLV.: *Duodecim namque Tuſciae populos frequentibus armis ſubegit* (Tarquinius Priſcus.) *Inde faſces, trabeae, curules, annuli, phalerae, paludamenta, praetextae. Inde quod aureo curru quatuor equis triumphatur, togae pictae, tunicaeque palmares, omnia denique decora, & inſignia, quibus imperii dignitas eminet, ſumpta ſunt*. Licet igitur primum purpurae uſum in urbe Roma aliqui Romulo, alii Numae, alii Tullo Hoſtilio, alii denique Tarquinio Priſco tribuant, (& fortaſſe alii reges aliud purpureae veſtis genus induxerunt) illud tamen fatentur omnes ab Etruſcis purpuram ad reges Romanos ipſis urbis Romae primordiis, uti docuimus, tranſiſſe.

C A P U T LIII.

De uſu purpurarum apud Romanos a regifugio ad Iulium Caeſarem.

HIC primum vero praetereundum non eſt, purpureas veſtes, ſive ob nimium pretium, ſive ob verſicolorem blandiſſimam varietatem, ſplendorem, immortalitatem, mollitiem, de quibus dotibus ſuperius egimus, ubique gentium antiquitus fere ſemper privatis vetitas, & ad ſolos reges, eorumque ſatellites coarctatas, uti regiam eorum maieſtatem, & poteſtatem ſignificantes. Teſtimonia plurima veterum, quae id probent, liber hic noſter ubique fere oſtendit. Probant id etiam plurima alia veterum teſtimonia, quae purpureos reges, purpuratos eorum ſatellites ubique nuncupant, & quae teſtimonia, cum notiſſima ſint, nos omittenda hic quoque ducimus.

Non ita tamen apud Romanos evenit, expulſis regibus, & republica vigente. Aut aequum ius civium, quod quaevis reſpublica adfectare ſolet, aut nota priſcorum Romanorum frugalitas nullum adducere potuit purpurarum interdictum. Primus ille Conſul Brutus unis veſtibus auro clavatis, aut pictis interdixit, quod inſignia regum eſſent, ceteras vero purpureas veſtes permittendas cenſuit, immo etiam veſtes pictas ludis, & triumphis donandas putavit. Dionyſius lib. IV.: Των τε παρασημων, α τοις βασιλευσι παραδεδοται πολλων οντων, ει τινα λυπηρας οψεις, και επιφθονους τοις πολλοις παρεχεται τα μεν μειωσαι, τα δε αφελειν οιο-

μαι

μαι δειν. τα σκηπτρα ταυτι λεγω, και τους χουτους στεφανους, και τας αλουργεις, και χρυτοσημους αμπεχονας, πλην ει μη κατα καιρους τινας εορταιους, και εν πομπαις τριαμβων. *Inter tot regia inſignia, ſi quae inviſa, & moleſta ſunt populo, partim minuenda, partim tollenda iudico. Sceptra dico, & coronas aureas, & veſtes purpureas auro clavatas, haec non adhibeantur, niſi feſtis diebus, & pompis triumphalibus ad colendos Deos.*

Hinc legimus Romanos ſenes praetextis, trabeis, & pictis veſtibus indutos, in veſtibulis aedium conſidentes, ab irrumpentibus in urbem Gallis fuiſſe interemptos. Livius lib. V. cap. XXII.: *Romae ſatis iam omnibus, ut in tali re, ad tuendam arcem compoſitis, turba ſeniorum domos regreſſa, adventum hoſtium obſtinato ad mortem animo exſpectabat. Qui eorum curules geſſerant magiſtratus, ut in fortunae priſtinae, honorumque, aut virtutis inſignibus morerentur, quae auguſtiſſima veſtis eſt thenſas ducentibus, triumphantibuſque, ea veſtiti medio aedium eburneis ſellis ſedere.*

Anno CCLXIX. ab urbe condita cum Veturia mater, & Volumnia uxor Coriolanum infeſto Volſcorum agmine venientem ab urbe Roma avertiſſent, Senatus Romanus grati animi ergo veſtes purpureas, & aurea ſegmenta, qui regum veſtitus fuit, Romanis matribusfamilias conceſſit. Valerius Maximus lib. V. cap. II.: *Marcium patriam oppugnare conantem, admotoque portis urbis ingenti Volſcorum exercitu, funus, ac tenebras Romano imperio minitantem Veturia mater, ac Volumnia uxor nefarium opus exſequi precibus ſuis paſſae non ſunt. In quarum honorem ſenatus matronarum ordinem benigniſſimis decretis adornavit. Sanxit namque, ut feminis ſemita viri cederent, confeſſus plus ſalutis Reipublicae in ſtola, quam in armis fuiſſe: vetuſtiſque aurium inſignibus novum vittae diſcrimen adiecit: permiſit quoque his purpurea veſte, & aureis uti ſegmentis.* Idem lib. II. cap. I.: *Vini uſus olim Romanis feminis ignotus fuit... Ceterum indulgentibus maritis & auro abundanti, & multa purpura uſae ſunt.*

Anno DXXXVII. Q. Fabio, T. Sempronio Coſs. cum privatorum cenſus in aerarium Reipublicae bello Punico ſecundo exhauſtae conferendi eſſent, non vero in muliebrem luxuriam effundendi, Lex Oppia lata eſt, quae feminis Romanis tantum, non viris, purpurae uſum prohiberet. Cap. XXVII. de hac re verba fecimus.

Anno DXLVI. Marcellus de captis Syracuſis triumphans immenſam vim pretioſae regiae veſtis Romam advexit, quae regia veſtis procul dubio purpurea fuit. Livius lib. VI. cap. XVII. dec. III.: *Pacis diuturnae, regiaeque opulentiae ornamenta, argenti, aeriſque fabrefacta vaſa, & alia ſupellex, pretioſaque veſtis, & multa nobilia ſigna.* Iamdiu vero antiquae rei peritis innotuit, hanc pretioſam veſtem a Quaeſtoribus poſt triumphum vendi, pretiumque retractum ad aerarium referri conſuevifſe. Iam vero haſce purpureas veſtes nec Quaeſtores vendituros, nec ullos homines redempturos fuiſſe conſtat, niſi purpurarum uſus Romae promiſcuus fuiſſet.

Anno DLV. M. Porcio Catone, L. Valerio Flacco Coſs. lex Oppia abrogata eſt, & feminae Romanae ius purpurae, & auri, quo prius uſae erant, recuperarunt. Videatur caput XXVII., quod memoravimus.

Anno DLXXII. Manlius de Aſia triumphavit, maioremque purpureae veſtis copiam Romam detulit. Id queritur Livius lib. IX. cap. V. dec. IV.: *Luxuriae peregrinae origo ab exercitu Aſiatico invecta in urbem eſt. Ii primum lectos aeratos,*

ve-

veſtem ſtragulam pretioſam, plagulas, & alia textilia, & quae tum magnificae ſupellectiles habebantur... Romam advexerunt. Hae quoque autem purpureae veſtes Romae ad haſtam venditae, & diſtributae fuerunt.

Ita quoque ceteris omnibus Romanorum triumphis uſuvenit. Veſtes purpureae gentium omnium Romam in hiſce triumphis omnes tranſductae, omneſque Romae venumdatae fuerunt.

Cum veſtes itaque purpureae tot triumphis Romae cumularentur, immenſum purpurarum luxum ultimis reipublicae temporibus Romae extitiſſe neceſſe fuit. Plurima hinc huius luxus teſtimonia apud antiquos ſcriptores legimus, eorumque etiam in eum luxum querelas. Vicem omnium praeſtet Valerius Maximus lib. IX. cap. I., qui inter cetera exempla indignans refert, Metellum Pium in Hiſpania cum Sertorio bellum gerentem, purpureis ſtragulis coenacula, ſeipſum diſcumbentem palmata tunica operuiſſe, quae triumphantium propria, nec non etiam Plutarchus, & Dion narrantes, Paullum Aemilium, C. Marium, & Gn. Pompeium ipſas triumphales, & regias veſtes non in triumphis tantum, ſed etiam omnibus ludorum diebus induiſſe.

Hactenus Romani omnium fere gentium purpuras, non tamen Tyrias, & Sidonias, quae ſplendidiſſimae eſſent, Phoenice nondum ſubacta, viderant. Anno urbis conditae DCC. Cicerone Conſule, cum Gn. Pompeius Phoenicen, finitimaſque regiones omnes Mithridaticae victoriae impetu ſubegiſſet, primus etiam Tyrias purpuras in triumphum detuliſſe debuit. Et revera nos legimus, eodem anno Lentulum Spintherem Tyria purpura primum Romae uſum. Plinius lib. IX. cap. XXXIX.: *Nepos Cornelius, qui Divi Auguſti principatu obiit, me, inquit, iuvene violacea purpura vigebat... nec multo poſt rubra Tarentina. Huic ſucceſſit dibapha Tyria.... Hac P. Lentulus Spinther Aedilis Curulis primus in praetexta uſus improbatur, qua purpura quis non iam, inquit, triclinaria facit? Spinther Aedilis fuit urbis conditae anno ſeptingenteſimo, Cicerone Conſule. Dibapha tunc dicebatur, quae bis tincta eſſet, veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes pene commodiores purpurae tinguntur.*

CAPUT LIV.

De uſu purpurarum a Iulio Caeſare ad M. Aurelium

IMperii autem tempore Romani Imperatores regum exterorum ambitioſa exempla ſecuturi, ſibi ſuiſque Praefectis reſervare, privatiſque omnibus prohibere purpuras paullatim coeperunt. Atque ut ab initio ordiamur, en ipſum C. Iulium Caeſarem in purpuras primum irruentem videmus. Ille vetuit conchyliatas purpuras, quas caeruleas, & flavas fuiſſe vidimus, eaſdem unis mulieribus concedens, quae viro, natiſque orbae, neque quinquageſimo quinto aetatis anno maiores eſſent. Svetonius in eius Vita: *Lecticarum uſum, item conchyliatae veſtis, & margaritarum, niſi certis perſonis, & aetatibus, perque certos dies ademit*. Clariuſque Euſebius ait in Chronico, Dictatorem Caeſarem purpuras conceſſiſſe *mulieribus illis, quae nec viros, nec liberos haberent, & minores eſſent annis LV.*

Idem vero Dictator Caeſar regiae dignitatis non modo auctoritatem, ſed etiam inſignia comparaturus curavit, primo veſtes regias triumphales omnibus ludis ſibi a Senatu decerni. Dion lib. XLIII. Την στολην την επινικιον εν πα-

σαις

σαις ταις πανεγυρησι κατα δογμα ενεδυετο. Veſtem triumphalem omnibus ludis ex decreto geſtavit. Deinde eaſdem ſibi decerni curavit cunctis diebus, quibus ſacra faceret. Appianus Alexandrinus lib. II. bellorum civilium: Και θυειν μεν αυτον αιει θριαμβικως ημφιεσμενον. *Permiſit eum ſacra facere triumphali veſte indutum*. Hinc tandem ſemper ſibi eaſdem decerni curavit. Dion lib. XLIV.: φερεσθαι τε αυτον αει και εν αυτη τη πολει την στολην την επινικιον ενδεδυκοτα. *Permiſit Senatus eum ferre ſemper etiam in ipſa urbe veſtes triumphales*. Hinc Dion ipſe eodem loco Caeſarem in Lupercalibus regia triumphali veſte magnifice indutum deſcribit: Εσθητι τη βασιλικη κεκοσμενος, και τω στεφανω τω διαχρυσω λαμπρυνομενος επι τον διφρον τον κεχρυσωμενον εκαθιζετο. *Ante roſtra in aurea ſella, regia veſte ornatus, aureaque corona ſedebat*.

Caeſar Auguſtus quoque ad unos magiſtratus purpuras cohibuit. Dion lib. XLIX.: Την τε εσθητα την αλουργη μηδενα αλλον εξω των βουλευτων εν ταις αρχαις οντων ενδυεσθαι εκελευσεν. ηδη γαρ τινες και των τυχοντων αυτη εχρωντο. *Imperavit deinde* (Auguſtus) *neminem alium induere veſtem purpuream praeter Senatores, cum in magiſtratibus eſſent. Nonnulli enim etiam minorum gentium veſte purpurea utebantur*. Ipſe tamen Auguſtus veſtes regias triumphales ſingulis Ianuariis Calendis ſibi concedi curavit iuxta Dionem lib. LIII.

Tiberius nnn lege, ſed exemplo vetandas purpuras aſtute, ut ſemper, putavit. Dion lib. LVII.: Και επειδη γε πολλη εσθητι αλουργει και ανδρες συχνοι (καιπερ απαγορευθεν προτερον) εχρωντο, διεμεμψατο μεν ουδενα, ουδε εζημιωσεν. υετου δε εν πανηγυρει τινι γενομενου, φαιαν μανδυην επενεδυ. Και τουτου ουκετ' ουδεις αυτων αλλοιον εσθημα λαβειν ετολμησε. *Et cum multi veſtem purpuream ferrent, etſi id iam ante vetitum fuerat*, (nimirum ab Auguſto, uti obſervavimus) *Tiberius neminem accuſavit, aut offendit. Cum autem quibuſdam ludis pluvia facta eſſet, Tiberius ipſe nigram veſtem induit. Ex eo vero die nemo alia veſte uti auſus eſt*.

Caligulam purpurarum interdictum inſtauraſſe non legimus, licet triumphali ornatu & ipſe ſaepius Romae uteretur iuxta Dionem lib. LIX., & Svetonium in eius Vita.

Nero purpuras Tyrias, & amethyſtinas tantum prohibendas, uti pretioſiores, putavit. Svetonius in eius Vita: *Et cum interdixiſſet uſum amethyſtini, & Tyrii coloris, ſubmiſiſſetque qui nundinarum die pauculas uncias venderet, praecluſit cunctos negotiatores. Quin etiam inter canendum animadverſam matronam e ſpectaculis vetita purpura cultam, demonſtraſſe procuratoribus ſuis creditur, detractamque illico non veſte modo, ſed & bonis exſuit*. Non tamen ille non meminit ſaepius veſtem regiam triumphalem ſibi a Senatu decerni. Ita hac indutus eſt, Parthis a Corbulone fugatis, iuxta Tacitum lib. II. Annalium. Hac etiam indutus Tyridatem accepit iuxta Dionem LXIII. Hac denique indutus ludos ſemper ſpectavit, iuxta eumdem Tacitum lib. XII. cap. XLI.

Nerone mortuo libertas purpurarum reſtituta eſt. Veſpaſiani, Titi, Domitiani temporibus communes fuiſſe purpuras, Martialis, & Iuvenalis carmina, qui coaevi fuerunt, id ſignificant. Plura huiuſmodi carmina per hunc librum iacent, quae conſulantur.

Eadem Traiani temporibus libertas obtinuit. Plinius aequalis tempóre id ſatis ſuperque declarat. Locum unum illius, & alterum proferemus. Ita ille lib. IX. cap. XXXV. *Huic* (purpurae) *faſces ſecureſque Romanae viam faciunt, itidemque*

pro

pro maieſtate pueritiae eſt. Diſtinguit ab equite curiam, Diis advocatur placandis, omnemque veſtem illuminat: in triumphali miſcetur auro. Quapropter excuſata & purpurae ſit inſania. Idemque lib. IX. cap. XLI. abſoluta purpureae tincturae deſcriptione concludit: *Abunde tractata eſt ratio, qua ſe virorum iuxta, feminarumque forma credit ampliſſimam fieri.*

Hadrianus quoque a purpuris vetandis abſtinuit. Reperimus tantum eumdem indutum imperatoria chlamyde coccinea auro, & purpurea clavata, L. Vero Caeſari coccineam chlamydem purpura tantum, non regio auro clavatam conceſſiſſe. Repetatur epiſtola Commodi ad rebellem Albinum, quam cap. XLII. exhibuimus. Reperimus quoque eumdem Hadrianum ſupellectilem omnem, ſtragulaſque veſtes purpureas auro vel clavatas, vel pictas more regio in imperatoriam domum primum invexiſſe. Lampridius in Alexandri Vita eumdem, ait, adhibuiſſe *pura mantilia ſaepius cocco clavata, aurata vero numquam, cum haec Elagabalus iam recepiſſet, & ante (ut quidam praedicant) Hadrianus.*

CAPUT LV.

De uſu purpurarum a M. Aurelio ad Theodoſium Magnum.

M. Aurelius omnem Auguſtae domus ſupellectilem more regio purpuream, & auratam venumdedit, eamdemque cuilibet privato homini permiſit. Capitolinus in eiuſdem Vita: *Vendidit..... & veſtem uxoriam ſericam, & auratam.... Tunc viris claris permiſit, ut eodem cultu, quo & ipſe, vel miniſteriis ſimilibus convivia exhiberent.* Lampridius ait, Elagabalum primum, cum adhuc iuvenis, & privatus eſſet, aurea, & purpurea regia ſupellectili uſum, hac poteſtate facta a M. Aurelio: *Primus omnium privatorum toros aureis toralibus texit, quia tunc ex Antonini Marci auctoritate id fieri licebat, qui omnem apparatum imperatorium publice vendiderat.*

Commodus certe iterum veſtium regiarum luxum in aulam revocavit, dicente Herodiano lib. I.: Αμφιεννυτο τε αλουργεις, και χρυσουφεις εσθητας. *Induit purpureas, & auro clavatas veſtes.* Eadem de illo refert Dion lib. LXXII.

Pertinax omnem Commodi ſupellectilem vendidit, & proinde cuivis privato purpurae ferendae poteſtatem fecit. Capitolinus in eius Vita: *Auctio ſane rerum Commodi in his inſignior fuit.... veſtis ſubtegmine ſerico aureis filis inſignior per tunicas:,.. purpureaſque chlamydes Graecanicas, atque caſtrenſes.*

Idem Severum feciſſe autumandum, qui puris veſtibus gauderet, chlamydemque ipſam imperatoriam reiiceret. Spartianus in eius Vita: *Hic tam exiguis veſtibus uſus eſt, ut vix tunica eius aliquid purpurae haberet, & cum hirta chlamyde humeros velaret.*

Elagabalum luxu nimium fuiſſe quis ignorat? Lampridius in eius Vita: *Uſus eſt aurea omni tunica, uſus eſt & purpurea.* Purpuras autem non vetitas ab eo dicemus, qui ſericas veſtes, & proinde etiam purpureas donaret. Idem Lampridius: *Ut ſericam veſtem donaret, quae tunc & in raritate videbatur, & in honore.*

Severus Alexander linteorum magis, quam purpurae amator cuilibet empturienti purpuras ipſas lucelli ergo vendebat. Lampridius in eius Vita: *Veſte, ut & pingitur, alba uſus eſt, nec aurata.... poenulis togiſque communibus.... Uſus eſt ipſe chlamyde coccina ſaepe: in urbe tamen ſemper togatus fuit, & in Italiae*

 urbi-

urbibus.... Chlamydes hirtas Severi & tunicas aſemas, aut macrocheras ex purpura non magna ad uſum revocavit ſuum... Boni linteaminis appetitor fuit, & quidem puri dicens: ſi lintei iccirco ſunt, ut nihil aſperum habeant, quid opus eſt purpura? In lintea autem aurum mitti etiam dementiam iudicabat, quum aſperitati adderetur rigor... Purpurae clariſſimae non ad uſum ſuum, ſed ad matronarum, ſi quae aut poſſent, aut vellent, certe ad vendendum graviſſimus exactor fuit, ita ut Alexandrina purpura hodieque dicatur, quae vulgo Probiana dicitur, iccirco quod Aurelius Probus baphiis praepoſitus id genus muricis reperiſſet. Hoc loco autem ſuſpicari licet, ſi Alexander purpurarum graviſſimus exactor fuit, purpuris iam tum vectigal impoſitum, clariores purpuras ad Imperatores vectigalis ergo relatas, baphiiſque imperatorios praepoſitos adiectos, qui vectigales ipſas clariores purpuras ad imperatorem ducendas ex ſingulis baphiis curarent.

Galieno in deliciis quoque fuerunt regiae aureae, & purpureae veſtes. Trebellius Pollio in eius Vita: *Chlamyde purpurea, gemmatiſque fibulis, & aureis Romae uſus eſt, ubi ſemper togati principes videbantur: purpuream tunicam auratamque virilem eamdemque manicatam habuit.* Immo ille ipſe matronis purpuras prohibuit, quas illis poſtea Aurelianus reſtituit. Vopiſcus in huius imperatoris Vita: *Idem* (Aurelianus) *conceſſit, ut blatteas matronae tunicas haberent, & ceteras veſtes, cum antea coloreas habuiſſent, aut ut multum oxypaederotinas.*

Aurelianus itaque procul dubio liberas purpuras eſſe voluit. Id tum locus Vopiſci mox allatus demonſtrat, tum etiam locus eiuſdem Vopiſci, quem cap. XX. retulimus, ad quos delegamus lectores. Hinc idem Aurelianus ab ipſo Vopiſco dicitur uxori Bonoſi donaſſe *tunicas palliolatas hyacinthinas ſubſericas, tunicam auro clavatam ſubſericam librilem unam.*

Tacitum auro clavatis veſtibus regiis, non vero purpureis interdixiſſe apud eumdem Vopiſcum legimus: *Auroclavatis veſtibus idem interdixit.*

Diocletianum profecto gemmas veſtibus calceiſque adieciſſe primum nobis refert Eutropius lib. X.: *Diocletianus ornamenta gemmarum veſtibus calceamentiſque indidit, nam prius imperii inſigne in chlamyde purpurea tantum erat.* Nec non Euſebius in Chronico: *Primus Diocletianus adorari ſe ut Deum iuſſit, & gemmas veſtibus calceamentiſque inferri, cum ante eum omnes imperatores in modum iudicum ſalutarentur, & chlamydem tantum purpuream a privato habitu plus haberent.* Attamen purpuras ab eodem Diocletiano non vetitas, ſed potius eius temporibus communes teſtari videtur Vopiſcus in eiuſdem Vita: *Quum Diocletianus daret ludos, parciſſima uſus liberalitate dicens, caſtiores eſſe oportere ludos ſpectante praetore. Legat hunc locum Iunius Meſſala, quem ego libere culpare audeo. Ille enim patrimonium ſuum ſcenicis dedit, haeredibus abnegavit, matris tunicam dedit mimae, lacernam patris mimo. Et recte ſi aviae pallio aurato atque purpurato pro ſyrmate tragoedus uteretur. Inſcriptum eſt adhuc in choraulae pallio Tyrianthino, quo ille velut ſpolio nobilitatis exultat, Meſſalae nomen & uxoris. Iam quid lineas petitas Aegypto loquar? Quid Tyro & Sidone, tenuitate perlucidas, micantes purpura, plumandi difficultate pernobiles?*

Conſtantinus magnus profecto non tantum vectigales ſibi habuit clariores baphiorum omnium purpuras, ſed etiam baphium aliquod (forte optimum Tyrium) ſibi perpetuo arripuit. Ipſe enim lege lata capitis plectendos ſtatuit illos artifices, qui ambitu in imperatorium ſuum baphium, & gynaecium irrepſiſſent, ne imperatoriae purpurae minus clarae artificum imperitia redirent. En ipſam legem,

legem, quam Iuſtinianus lib. II. tit. VII. ſui Codicis nobis ſervavit: *Imp. Conſtantinus A. ad Felicem Procuratorem rei privatae. Baphii & gynaecii, per quos & privata noſtra ſubſtantia tenuatur, & ſpecies gynaecii confectae corrumpuntur, in baphiis etiam admixta temeratio naevum adducit inquinatae alluvionis, ſuffragiis abſtineant, per quae memoratas adminiſtrationes adipiſcuntur, vel, ſi contra hoc fecerint, gladio feriantur.* Excepto itaque baphio, quod ſibi arripuit Conſtantinus, eumdem cetera baphia, purpuraſque ipſas vetuiſſe non legimus. Immo eaſdem communes fuiſſe confirmare videtur Ammianus Marcellinus, qui lib. XXII. refert, quod Conſtantini temporibus *uſus abundantis ſerici, & textiles auctae ſunt artes.*

Conſtantio imperante Diaconus quidam, plurimique alii principes viri crudeliter interfecti fuerunt, quod accuſarentur, purpureum veſtimentum regium apud Tyrum texi curaſſe. Ammianus Marcellinus lib. XIV.: *Quae dum ita ſtruuntur, indicatum eſt apud Tyrum indumentum regale textum occulte, incertum quo locante, vel cuius uſibus apparatum.* Et mox narrata aliquorum crudeliſſima morte haec addit: *Poſt haec indumentum regale quaerebatur, & miniſtris fucandae purpurae tortis confeſſiſque pectoralem tuniculam ſine manicis textam, Maras quidam nomine inductus eſt (ut appellant Chriſtiani) Diaconus, cuius prolatae litterae ſcriptae Graeco ſermone ad Tyrii textrini praepoſitum, celerari ſpeciem perurgebat, quam autem non indicabat. Denique etiam idem uſque ad diſcrimen vitae vexatus, nihil fateri compulſus eſt.* Hinc Conſtantii tempore veſtimentum quidem imperatorium, non vero ceteras purpureas veſtes vetitas apparet, baphiumque Tyrium iam inde a Conſtantini magni temporibus ad imperatores pertinuiſſe, eique Baphio imperatorium praepoſitum praefuiſſe.

Tantum vero a prohibendis purpuris abſuit Iulianus, ut immo & purpureos calceos adferri iuſſerit ad quemdam, qui chlamydem regiam ſibi confici curaſſe accuſaretur. Repetatur Ammiani Marcellini locus, quem cap. XLIV. adduximus.

CAPUT LVI.

De uſu purpurarum Gratiani & Theodoſii magni temporibus.

HActenus purpuras temporarie vetitas, vectigal iiſdem purpuris impoſitum; aut officinam Tyriam tantum ab imperatoribus ſibi dicatam vidimus. Nunc vero & purpuras, & purpurarias omnes officinas perpetuo privatis abreptas, uniſque imperatoribus ſervatas videamus.

Imperatores Valentinianus, Valens, & Gratianus anno epochae chriſtianae CCCLXIX. Valentiniano N. P., & Victore Coſs. primum aureos clavos regios, quos tum paragaudas vocabant, privatis vetandos cenſuerunt. Legem hanc latam nobis ſervavit Iuſtinianus in tit. VIII. lib. XI. ſui Codicis: *De veſtibus holoberis & auratis & de intinctione ſacri muricis. Impp. Valentinianus, Valens, & Gratianus AAA Arehelao Com. S. L. Auratas, ac ſericas paragaudas auro intextas viriles privatis uſibus contexere conficereque prohibemus, & in gynaeciariis tantum noſtris fieri praecipimus. Dat. V. Non. Iul. Nebioduni. Dat. XV. Kal. Auguſt. Martianopoli Valentiniano N. P. & Victore Conſ.*

Iidem autem imperatores anno CCCLXXXII. Antonio, & Syagrio Coſs. memoratam legem alia lege confirmarunt, quam Codicis ſui eodem titulo, & libro

bro ipſe Iuſtinianus nobis ſervavit: *Impp. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius AAA Floro P. P. Nemo vir auratas habeat aut in tunicis, aut in lineis paragaudas, niſi hi tantummodo, quibus hoc propter imperiale miniſterium conceſſum eſt. Non enim levi animadverſione plectetur quiſquis vetito ſe, & indebito non abdicaverit indumento. Dat. III. Kal. April. Conſtantinopoli. Antonio, & Syagrio Conſulibus.*

Denique anno fere CCCLXXXIII. iidem Imperatores ab auro ad purpuram tranſeuntes, hanc ipſam purpuram privatis omnibus lege poenam capitis, & fortunarum ſanciente prohibendam cenſuerunt. Haec lex, quam lib. IV. tit. XL. ſui Codicis, *quae res vendi non poſſunt*, ſervavit Iuſtinianus, cum Conſulibus careat, quo anno lata ſit, ignoratur. Coniiciendum tamen, non anno CCCLXXX. anteriorem fuiſſe, quo anno Theodoſius a Gratiano collega renunciatus, neque anno CCCLXXXVII. poſteriorem fuiſſe, quo anno Gratianus eſt interfectus. En legem ipſam: *Impp. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius A.A.A. Fauſto Com. S. L. Fucandae, atque diſtrahendae purpurae vel in ſerico, vel in lana, quae blatta, vel oxyblatta, atque hyacinthina dicitur, facultatem nullus poſſit habere privatus. Sin autem aliquis ſupradicti muricis vellus vendiderit, fortunarum ſuarum, & capitis ſciat ſe ſubiturum eſſe diſcrimen.*

Cum itaque antiquitus fere in omnibus maritimis urbibus purpurae vulgo conficerentur, uti tot antiquorum Scriptorum teſtimonia toto hoc libro ubique ſparſa demonſtrant, hac lege lata privatae omnes purpurariae officinae omnino clauſae ſilere debuerunt. Non omnes tamen clauſae, immo nonnullae ſervatae fuerunt, quae non iam ad privatos, ſed ad Imperatores ipſos pertinerent, ab eorumque procuratoribus adminiſtrarentur. Id demonſtrat *Notitia*, quae vocatur, *utriuſque imperii* & orientalis, & occidentalis, quae tum omnes imperiales miniſtros, tum hos quoque purpurarios deſcribit. Pars autem eiuſdem Notitiae huc pertinens haec eſt: *In occidente Procuratores baphiorum, Procurator baphii Tarentini Calabriae, Procurator baphii Salonitani Dalmatiae, Procurator baphii Ciſſenſis Venetiae, & Iſtriae, Procurator baphii Syracuſani Siciliae, Procurator baphiorum omnium per Africam, Procurator baphii Girbitani provinciae Tripolitanae, Procurator baphii inſularum Balearium in Hiſpania, Procurator baphii Telonenſis Galliarum, Procurator baphii Narbonenſis. In oriente Procuratores plures baphiorum.* Hinc numerus baphiorum omnium occidentis apparet, quae Theodoſii magni tempore ſervata fuerunt, quaeque a privatorum dominio exempta, & ad imperii dominium perpetuo translata ſuperfuerunt. Obſervandum vero praeſertim in Italia noſtra, Ariminenſibus, Anconitanis, ceteriſque omnibus purpurariis officinis clauſis, quae fortaſſe per omnia Italica littora ante id tempus habebantur, unas remanſiſſe, & quidem ad imperium ſpectantes officinas, Syracuſanam in Sicilia, Tarentinam in Calabris, & Ciſſenſem in Iſtria. Non me latet, Pancirolum celebrem eiuſdem Notitiae interpretem a Theodoſio II. editam hanc Notitiam affirmare. Nos autem ab hoc Theodoſio magno editam putamus. Nominantur enim in eadem Notitia, quemadmodum vidimus, baphia Galliae Narbonenſis, Hiſpaniae, & Africae, uti regionum ad imperium ſpectantium. Hae autem regiones tempore quidem Theodoſii I. ad imperium ſpectabant, non vero tempore Theodoſii II., quo tempore Gallia, & Hiſpania a Gothis, Africa a Vandalis occupabantur, uti per hiſtorias patet, & paullo poſt etiam erit videndum. Inanis deinde profecto fuiſſet ſeveriſſima illa lex, quam memoravimus, quaeque purpuras privatis omnibus, fortunarum, & capitis poena vetitas redderet, niſi baphia ipſa privatis prohibita

fuiſ-

Digitized by Google

fuiſſent. Etiam baphia ipſa igitur privatis prohiberi oportuit, & id in eadem Notitia factum videmus, proinde ab eodem Theodoſio I. editam dicemus, ut baphiorum ipſorum vetatione ſanctiorem legem ipſam, quam retulimus, faceret. Notitia igitur imperii procul dubio a Theodoſio I. edita, poſterior quidem legi eſſe debuit, quae purpuras vetaret, cuiuſque obſervantiam ſanciret, hinc & ipſa proinde in publicum prolata inter annum CCCLXXX., quo Theodoſius I. collega a Gratiano renunciatus, & inter annum CCCLXXXVII., quo Gratianus mortuus eſt. Id tamen etiam ea lex, quae ſequitur, declarat.

Iidem itaque Imperatores anno CCCLXXXV. Arcadio, & Bautone Coſs. lege alia lata duabus auri libris eos mulctandos damnant, qui naves piſcandis maritimis conchyliis addictas occupaſſent. Ea eſt huiuſmodi tit. VII. lib. II. ſui Codicis a Iuſtiniano relata: *Impp. Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius AAA. ad Principium P. P. Si quis naviculam functioni muricis, & legendis conchyliis deputatam auſus fuerit uſurpare, duarum librarum auri illatione teneatur. Dat. kal. octob. Aquil. Arcadio A. & Bautone Conſs.* Nullam autem poenam piſcationis conchyliorum turbatoribus hoc anno eoſdem Imperatores irrogaturos fuiſſe ſatis conſtat, ſi baphia fere omnia ad privatos, ut ante, non autem ad imperium pertinuiſſent.

Tum anno aerae chriſtianae CCCXCIII. Conſulibus Theodoſio Aug. III., & Abundantio, Imppp. Theodoſius, Arcadius, & Honorius AAA. Rufino P. F. P. purpuras veras, ſive maritimas, quas puri muricis vocant, ſcenicis omnibus prohibuerunt. Lex eſt XI. ad tit. de Scenicis in Cod. Theod., quae ita infit: *His quoque veſtibus noverint abſtinendum, quas Graeco nomine alethinocruſtas vocant, in quibus alio admixtus colori puri rubor muricis inardeſcit. Dat. XI. kal. octob. Conſtantinop. &c.*

Obſervavimus cap. XV., antiquos homines herbis, & vegetabilibus colores ipſos purpureos ſat commode ſimulaſſe. Cum igitur imperii Romani gentes vetita purpura indui nequirent, herbis colores ipſos purpureos ſimulare coeperunt, rubicundo roſarum colori alios colores inducentes, qui colores ſimul iuncti mixtas plerumque rubro, & atro colore purpuras referrent. Hos etiam tamen herbis ſimulatos colores purpureos, ſive haſce terreſtres purpuras vetuerunt etiam Imperatores Theodoſius, Arcadius, & Honorius lege lata anno CCCXCVII. Lex quidem ipſa conſulibus manca eſt, ſed cum Honorius collega imperii a patre ſuffectus fuerit anno priore CCCXCVI., & anno ſequenti CCCXCVII. deceſſerit Theodoſius pater, hinc hanc legem vel anno CCCXCVI., vel anno CCCXCVII. latam oportuit. Eamdem legem ex eodem tit. VIII. lib. II. Iuſtinianei Codicis deſcribimus: *Imppp. Theodoſius, Arcadius, & Honorius AAA. Vellera adulterino colore fucata in ſpeciem ſacri muricis,* (quod nempe iam purpurae ſacris Imperatoribus per memoratas leges dicatae fuiſſent,) *intingere non ſinimus, nec tinctum cum Rhodino prius ſerico, alio poſtea colore fucari, cum de albo omnium colorum tingendi copia non negetur. Nam capitalem poenam illicita tentantes ſuſcipient.*

CA-

CAPUT LVII.

De uſu purpurarum a Theodoſio magno ad imperii occidentalis ruinam.

PUrpurarum interdicta, quae Theodoſii magni tempore perſonare coeperant, Arcadii, Honorii, & Theodoſii II. temporibus magis magiſque percrebuerunt. Vetitis purpuris, officinis purpurariis clauſis, veſtes tamen ſericae purpureae a Perſide fortaſſe per mercatores in imperii Romani regiones identidem transducebantur. Hinc anno CCCCVIII. Arcadio A. VI., & Probo Coſs. Imperatores Arcadius, Honorius, & Theodoſius II. eaſdem ſericas purpureas veſtes non tantum vetuerunt, ſed etiam in aerarium tradendas imperarunt ſequenti lege, quam ex eodem loco Iuſtinianei Codicis depromimus: *Impp. Arcadius, Honorius, & Theodoſius AAA. Philometori Com. S. L. Lotas impoſterum ſericoblattae, & metaxae huiuſmodi ſpecies inferri praecipimus, viginti librarum auri condemnatione propoſita his, qui ſcrinium canonum tractant, prioribus etiam cuiuſcumque officii, ſi ſtatuta caeleſtia a quodam paſſi fuerint temerari. Dat. V. kalend. iul. Conſtantinopol. Arcadio A. VI. & Probo Conſs.*

Interea anno CCCCXVI. Gallia, & Hiſpania a Viſigothis occupata, officinae purpurariae Telonenſis, Narbonenſis, & Balearium penitus interire debuerunt, quae unae reliquae in illiſce regionibus iuxta imperii Nótitiam fuerunt.

Quantumvis vero purpurae omnes tunc temporis ex uſu Imperatorum publicorumque miniſtrorum tantum tingerentur, fiebat tamen fortaſſe, ut nonnulli privati homines illiſce antiquis purpureis veſtibus uterentur, quas iam ab illis temporibus, quibus non eſſent vetitae, poſſiderent. Hinc Theodoſius II. Imperator anno CCCCXXIV. Caſtino, & Victore V.C. Conſs. alia ſeveriſſima lege etiam haſce antiquas purpureas veſtes, non iam ſolum vetandas, ſed etiam aerario imperiali omnes tradendas imperavit. Lex ex eodem Iuſtinianei Codicis fonte promanat: *Imp. Theodoſius A. Maximo Com. S. L. Temperent univerſi cuiuſcumque ſint ſexus, dignitatis, artis, profeſſionis, & generis ab huiuſmodi ſpeciei poſſeſſione, quae ſoli principi, eiuſque domui dedicatur, nec pallia tunicaſque domi quis ſericas contexat, aut faciat. Quae tincta conchylio, quae nullius alterius permixtione contexta ſunt, proferantur ex aedibus, tradanturque tunicae, aut pallia ex omni parte texturae cruore infecta conchylii. Nulla ſtamina ſubtexantur tincta conchylio, nec eiuſdem infectionis arguto pectine ſolidanda fila decurrant, reddenda aerario holobera veſtimenta virilia protinus afferantur. Nec eſt, ut quiſquam de abiurato pretio conqueratur, quia ſufficit calcatae legis impunitas. Ne quis vero nunc huiuſmodi ſuppreſſione in laqueos novae conſtitutionis incurrat, alioqui ad ſimilitudinem laeſae maieſtatis periculum ſuſtinebit. Dat. XVII. kalend. februar. Conſtantinopoli Victore* V. *Caſtino Conſs.*

Plurimas deinde alias leges eodem, & ſequentibus duobus annis idem Imperator Theodoſius II., & Valentinianus III. edidere, quibus imperialium baphiorum adminiſtratio ſolemnior imperaretur. Harum legum, quae eodem Iuſtinianaei Codicis titulo, & libro leguntur, nos verba brevitatis gratia non proferemus, eorumdem tantum ſumma capita proſecuturi. Lex itaque undecima eiuſdem tituli, & libri, edita eodem anno CCCCXXIV. Caſtino, & Victore Coſs. iubet, ne conchyliorum piſcatores ab officio diſcedant. Lex duodecima, anno ſequenti CCCCXXV. Theodoſio A. XI., & Valentiniano Coſs. edita, filios ex uxoribus artificum huiuſmodi natos ſequi officium matris iubet. Lex decimatertia, anno

CCCCXXVI. Theodoſio XII., & Valentiniano Coſs. edita, artifices eoſdem ab officio abire vetat, niſi alium idoneum artificem ſubſtituerint. Lex decimaquarta Conſulibus manca, ſed eodem, vel certe ſequentibus annis emiſſa, a procuratoribus baphiorum fideiuſſores dandos imperat, ſe fideliter munus ſuum obituros. Lex denique decimaquinta, & ipſa Conſulibus carens, ſed & ipſa eodem, aut ſequentibus annis prolata, filios omnes artificum eorumdem ſequi paternum, & maternum munus imperat.

Anno quoque interea CCCCXXXII. omni Africa a Vandalis occupata, officinae purpurariae Girbitana Tripolitana, ceteraeque per Africam diſperſae, artificibus aut extinctis, aut fugatis, pari modo interire debuerunt. Imperium opibus fractum ſuperbia augebatur, belloque averſi Imperatores, unumque ſuum luxum meditantes, tota vi in privatorum purpuras erumpebant. Quamvis enim privatis eiſdem per ſeveriſſimas iſtas leges vetitae purpurae fuiſſent, attamen purpurae ipſae ab imperialibus baphiis in Romani imperii regiones dolóſe vulgabantur. Hinc alia lege cautum, ne iſtae purpurarum fraudes admitterentur. Nos deſcribimus legem ex eodem Iuſtinianei Codicis loco, editam an. CCCCXXXVI. Iſidoro, & Senatore Coſs. *Impp. Theodoſius, & Valentinianus Apollonio Com. S. L. Purpurae nundinas, licet innumeris ſint conſtitutionibus prohibitae, recenti quoque interminatione vetamus, & ideo ſeptimum de ſcrinio exceptorum, ſextum de ſcrinio canonum, quintum de ſcrinio tabulariorum ad baphia Phoenices per certum tempus mitti praecipimus, ut omnis fraus eorum prohibeatur ſolertia, timentium ne quaeſitis longo ſudore ſtipendiis careant, etiam viginti librarum auri condemnatione propoſita. Dat.* VIII. *id. mart. Conſtantinopoli. Iſidoro, & Senatore Conſs.* Hic vero obſervemus, Imperatores Theodoſium, & Valentinianum ad baphia Tyria tantum miniſtros miſiſſe cauturos, ne inde purpurae ad privatos fraudulenter dilaberentur. Hine ſuſpicandum, etiam illa imperialia baphia, quae iuxta imperii Notitiam reliqua fuerant, iam ab Imperatoribus fuiſſe omnia clauſa, & ad unum Tyrium baphium redacta. Si enim cetera etiam imperialia baphia ſuperfuiſſent, de quibus Notitia imperii loquitur, non dubitandum, quin etiam ad ea baphia ſuos miniſtros hi Imperatores miſſuri fuerint, ut etiam ex illis baphiis caveretur, ne purpuras privati coemerent. Ut autem omnia omnino baphia etiam imperialia tollerentur hoc tempore, unumque Tyrium ſervaretur, duae res adducere potuerunt Imperatores. Primo quidem fraudes ipſae privatorum, quae facilius impedirentur, ſi unis Tyriis baphiis cuſtodiae apponendae eſſent, uti hac lege fuerunt appoſitae. Secundo vero barbarorum irruptiones, quae iam officinas Gallicas, Hiſpanienſes, & Africanas deleverant, & quae paullatim omnia occidentis baphia ſuſtulerunt, uti etiam mox videbimus. Quod vero unum ſuperfuerit ab hoc tempore Tyrium baphium, alia etiam teſtimonia mox habebuntur.

Anno CCCCXXXIX. ipſe Theodoſius II. legum Codicem edidit. In eumdem memoratae leges purpurariae relatae fuerunt, ubi adhuc leguntur, & nova vi donatae in reliquis ſaltem imperii regionibus, ſi Africam, Galliam, & Hiſpaniam a barbaris occupatas exceperimus.

Anno CCCCLXX. Iordane, & Severo Coſs. Leo Imperator aliis etiam Imperatoribus inſanior aliam legem ferendam putavit, qua ipſum atramentum purpureum prohiberetur, uniſque Imperatoribus ſervaretur. Ecce legem ipſam, quam ex tit. XXIII. lib. I. Iuſtinianei Codicis haurimus: *Imp. Leo A. Hilariano magiſtro officiorum, & patricio. Sacri affatus, quoſcumque noſtrae manſuetudinis in quacumque*

cumque

cumque parte paginarum ſcripſerit auctoritas, non alio cultu penitus, aut colore, niſi purpurea tantummodo inſcriptione luſtrentur, ſcilicet ut cocti muricis, & triti conchylii ardore ſignentur. Eaque tantummodo fas ſit proferri, vel dici reſcripta in quibuſcumque iudiciis, quae in chartis ſive membranis ſubnotatio noſtrae ſubſcriptionis impreſſerit. Hunc autem ſacri encauſti conceſſum habere, aut quaerere, aut a quocumque ſperare, eo videlicet, qui hoc auſus fuerit, tyrannico ſpiritu poſt proſcriptionem bonorum omnium capitali non immerito poena plectendo. Dat. VI. kal. april. Iordane, & Severo Conſs. Hanc autem legem uſque ad imperii Graeci ruinam adamuſſim ſervatam ſequentibus capitibus patebit.

Anno denique CCCCLXXV. Auguſtulo deiecto, occidentali imperio per Odoacrem deleto, & Italica, & cuncta occidentis imperialia baphia ſiluerunt, niſi ea omnia iam prius Imperatores ad unum Tyrium baphium redegerant, uti innuimus.

C A P U T L V I I I.

De uſu purpurarum ab Imperii occidentalis ruina ad Heraclium.

ANno CCCCXCIII. Oſtrogothi, occiſo Odoacre, Italiam occuparunt. Theodoricus earum gentium Rex Conſtantinopoli educatus, cultarum artium amator, cum Italicae officinae purpurariae vel ab Odoacre, vel ab ipſis Imperatoribus iam deletae fuiſſent, novam Hydruntinam in Calabris officinam conſtituit, quae tamen ſibi, ſuiſque magiſtratibus tantum, non vero ceteris privatis, Imperatorum Romanorum more, purpuras ſuppeditaret. Id epiſtola II. lib. I. Caſſiodori confirmat, quae longa quidem, ſed lectu digna hic in medium affertur. *Theoni V. C. Theodoricus rex. Comitis Stephani inſinuatione comperimus, ſacrae veſtis operam, quam voluimus neceſſaria feſtinatione compleri, diſrupto magis labore pendere, tu vero curſum ſubtrahendo ſolemnem, abominandam potius inferre cognoſceris tarditatem. Credimus enim, aliquem proveniſſe neglectum, ut aut crines illi lactei carneo poculo bis terque ſatiati, pulcherrima minus ebrietate rubuerint, aut lances non ſuxerint adorandi muricis pretioſiſſimam qualitatem. Quapropter ſi perſcrutator Hydruntini maris intuſa conchylia ſolemniter condidiſſet apto tempore, acervus ille Neptunius generator florentis ſemper purpurae, ornator ſolii, aquarum copia reſolutus imbrem aulicum flammeo liquore laxavet. Color nimio lepore vernans, obſcuritas rubens, nigredo ſanguinea regnantem diſcernit, dominum conſpicuum facit, & praeſtat humano generi, ne de aſpectu principis poſſit errari. Mirum eſt, ſubſtantiam illam morte confectam, cruorem de ſe poſt ſpatia tam longi temporis exſudare, qui vix ſolet vivis corporibus vulnere ſauciatis effluere. Nam cum ſex pene menſibus marinae delitiae a vitali fuerint vigore ſeparatae, ſagacibus naribus neſciunt eſſe graviſſimae, ſcilicet ne ſanguis ille nobilis aliquid ſpiraret horroris. Haec cum infecta ſemel ſubſtantia perſeverat, & neſcit ante ſubtrahi, quam veſtis poſſit abſumi. Quod ſi conchyliorum qualitas non mutatur, ſi torcularis illius una vindemia eſt, culpa nimirum artificis erit, cui ſe copia nulla ſubtrahit. In illis autem rubicundis fontibus cum albentes comas ſerici doctus moderator intinxerit, habere debet corporis puriſſimam caſtitatem, quia talium rerum ſecreta refugere dicuntur immunda. Haec ſi omnia conſtiterint, ſi in nulla parte praetermiſſa videatur eſſe ſolemnitas, miramur tua te pericula minime cogitaſſe, dum ſacrilegii ſit reatus, negligentia in tali*

veſte

Digitized by Google

veſte peccare. Quid enim agunt tot artifices, tot nautarum catervae, tot familiae ruſticorum? Tu quoque comitiva ſubvectus tantis iubes, tanta te iſtius nominis praeſumptione defendis, & cum regale opus crederis agere, in multis videaris tuis civibus imperare. Hoc ergo remiſſio tua negligit, quod te in provincia ſubvexerat, & ad conſpectum principis honorabilem venire faciebat. Quod ſi te facultatis tuae adhuc cura non deſerit, ſi te ſalutis propriae tangit affectus, intra illum diem, imminente tibi harum portitore, cum blatta, quam noſtro cubiculo dare annis ſingulis conſuevisti, venire feſtina. Quia iam non compulſorem ad te mittimus, ſed ultorem, ſi aliqua credideris ludificatione tardandum. Verum talis, tantaque res quam facili legitur inventa compendio. Nam cum fame canis avida in Tyrio littore proiecta conchylia impreſſis mandibulis contudiſſet, illa naturaliter humorem ſanguineum defluentia, ora eius mirabili colore tinxerunt, &, ut eſt mos hominibus, occaſiones repentinas ad artes ducere, talia exempla meditantes fecerunt principibus decus nobile de re, quae ſubſtantiam noſcitur habere mediocrem. Eoa Tyros eſt. Hydron Italica, aulicum profecto veſtarium, non antiqua cuſtodiens, ſed iugiter novella tranſmittens. Vide ergo, ſi quis te patiatur minus implere, quod nos tam neceſſario cognoſcis expetere.

In hac enimvero epiſtola, quam ſui Hydruntini baphii praefecto ſcripſit Theodericus, tum multa apparent, quae plurimas libelli noſtri ſententias confirment, tum vero apprime illud, duas tantum purpurarias officinas tunc temporis reliquas fuiſſe, nimirum Hydruntinam Italicam ex uſu regum Italiae, & Tyriam Aſiaticam ex uſu Graeci Imperatoris, ceteraſque omnes vel a barbaris populis, vel ab ipſis Graecis Imperatoribus iam fuiſſe deletas.

Anno DXXXI. ſuum Codicem Iuſtinianus probavit. Eaedem purpurariae leges in ipſum Codicem relatae fuerunt, ex quo eas excerpſimus, & proinde purpurae, earumque officinae privatis, ut antea, vetitae, & Imperatori, eiuſque praefectis, ut antea, dicatae.

Anno DXXXIII. Iuſtinianus Africam a Vandalis recepit. Purpurariae leges igitur in Africam revocatae, quae purpuras, earumque officinas iam prius a barbaris extinctas reſtituendas vetarent.

Anno DLIII. Iuſtinianus idem Italiam recepit, legeſque purpurarias in eamdem etiam revexit, nimirum uti purpurae non tantum a privatis abeſſent, ſed nulla etiam officina reponeretur, immo ipſa Hydruntina, quae ſub Oſtrogothis viguerat, interiret, cuius profecto nullum ultra reperitur teſtimonium.

Narrat Procopius lib. VI. Aedificiorum, eumdem Iuſtinianum regibus Armeniae veſtes regias conceſſiſſe, chlamydes nimirum coccineas auro, & purpura clavatas, & coccineos calceos, quae inſignia ab unis Romanorum Imperatoribus, & Perſarum regibus geſtarentur. *Χρυσω δε η της πορφυρας κατειληπτο μοιρα, εφ' ης ειωθεν η της αλουργιδος εμβολη γινεσθαι.... υποδηματα μεχρι ες γονυ φοινικου χρωματος, α δη βασιλεα μονον Ρωμαιων τε, και Περσων υποδεισθαι θεμις. Auro autem pars ea chlamydis purpureae clavata erat, cui ſolet purpura immitti.... calceos autem uſque ad genu colore coccineo, quae ornamenta unum regem Romanorum, & Perſarum deferre fas eſt.* Hinc elici poteſt, Reges barbaros a Romanis Imperatoribus veſtes purpureas regias accipere conſueviſſe, non modo ut in eorum fide ſe eſſe confirmarent, verum etiam quod purpurae extra Romanum, & Perſicum imperium tum temporis obſoleviſſent, & ab uno Imperatore, aut Rege Perſarum repeti conſueviſſent.

M Iu-

Iuſtinum II. etiam legibus purpurariis vim ſuam tribuiſſe eſt manifeſtum, deſcribente Corippo imperialem veſtem purpuream, eamque ſolis Romanis Imperatoribus dicatam confirmante, in lib. II. Panegyrici in laudem Imperatoris illius. Dignus locus eſt, qui totus referatur:

Egreditur, tunicaque pios inducitur artus,
Aurata ſe veſte tegens, qua candidus omnis
Emicuit, lumenque dedit, fuſcaſque removit,
Aetherea nondum prolata luce, tenebras.
Purpureo ſurae reſonant fulgente cothurno,
Cruraque puniceis induxit regia vinclis,
Parthica Campano dederant quae tergora fuco,
Queis ſolet edomitos victor calcare tyrannos
Romanus princeps, & barbara colla domare,
Sanguineis praelata roſis, laudata rubore,
Lectaque pro ſacris tactu molliſſima plantis.
Auguſtis ſolis hoc cultu competit uti,
Sub quorum eſt pedibus regum cruor: omne profecto
Myſterium certa rerum ratione probatur.
Nobilibus gemmis, & cocto lucidus auro
Balteus effulgens lumbos praecinxit heriles,
Subſtrictoque ſinu veſtis divina pependit
Poplite fuſa tenus, pretioſo candida limbo.
Caeſareos humeros ardenti murice texit
Circumfuſa chlamys, rutilo quae ornata metallo
Principis exerta vincebat lumina dextra.
Aurea iuncturas morſu praeſtrinxit adunco
Fibula, & a ſummis gemmae nituere catenis.

Anno DLXVIII. Italia a Langobardis ſubacta purpurarias officinas, quae nullae fortaſſe ſuperfuerant, uti audivimus, magis magiſque fuiſſe deletas eſt putandum.

Tiberii II. temporibus, qui anno DLXXVIII. Imperator electus, leges purpurariae adhuc vigebant. Ipſe enim partibus circi veſtes regias purpureas, & auratas, quae favore principum fortaſſe uſurpari coeperant, iterum vetuit. Cedrenus in eius Vita: Γενεθλιου δε του ιππικου αγομενου, και των μερων φορουντων στολας σωληνωτας απο βλαττιου οξεος, και χλαμυδας παραπλησιας του βασιλικου, επαυσε ταυτας φορειν ο Τιβεριος. *Cum natalis circi celebraretur, & partes ferrent veſtes purpura acuta, aut rubicunda clavatas, & chlamydes imperatoriis ſimiles, eas ferri vetuit Tiberius.* Narrat Anaſtaſius Bibliothecarius, Ormiſdam Romanum Pontificem, qui anno DLXXXI. electus eſt, feciſſe *pallia olobera blattea cum tabulis auro tectis de chlamyde, vel ſtola imperiali*, nimirum pallia holoſerica purpurea aureis tabulis, ſive latis clavis iuxta imperatoriae chlamydis morem ornata. Hinc exiſtimandum, clericis non ſecus ac magiſtratibus purpuram tunc temporis permiſſam, Romanoſque Pontifices, ceteroſque occidentis Epiſcopos ab ipſo Graecorum Imperatore vel munere, vel emptione accepiſſe purpuras, quibus ſacras veſtes ornarent. Certe purpurarum uſum in veſtibus ſacris perpetuum fuiſſe, fortaſſe Imperatoribus ipſis hanc veniam religioni dantibus, teſtimonia eccleſiaſticorum ſcriptorum demonſtrant, & quae cap. XXXIII. exhibuimus, & quae ſequentibus capitibus exhibebimus. Pur-

Purpura ipſa tamen in veſtibus clericorum non ſacris, & communibus ſemper vetita & damnata fuit. Concilium Narbonenſe anno DXCVIII. celebratum: *Hoc regulariter definitum eſt, ut nullus clericorum veſtimenta purpurea induat, quae ad iactantiam pertinent mundialem, non ad religioſam dignitatem, ut ſicut eſt devotio in mente, ita & oſtendatur in corpore, quia purpura maxime laicis poteſtate praeditis debetur, non religioſis.*

CAPUT LIX.

De uſu purpurarum ab Heraclio ad decimum ſaeculum.

Heraclio imperante, circa annum DCXXXVI. Saraceni Palaeſtinam, Phoeniciam, Syriam occuparunt, ſequentibuſque annis etiam Aegyptum, & Africam, Graecumque imperium ad Graeciam, Thraciam, oraſque occidentales Aſiae minoris redegerunt. Hinc tum ceterarum regionum purpurarias officinas, ſi quae fuere, tum vero etiam celeberrimas Tyrias funditus deletas, purpurarios artifices vel occiſos vel eiectos & diſperſos iudicandum. Quis autem non crederet officinis hiſce Tyriis per Saracenos deſtructis, quae unae in Romano imperio ſuperfuerant, uti animadvertimus, purpuras omnes tunc temporis interiiſſe?

Anno DCLI. Saraceni ipſi Perſide potiti ſunt, & proinde etiam in Perſide purpuras tum occubuiſſe eſt omnino putandum.

Nihilominus tamen purpuras ipſas etiam ſequentibus annis non tantum apud Graecos imperiales Praefectos, ſed etiam apud occidentales Clericos percrebuiſſe comperimus. Concilium Toletanum X. anno DCLVI. celebratum purpuras commemorat, & permittit: *Ut autem deinde nil devocetur in dubium, pallio purpureo, vel nigri coloris caput contegat ab initio ſuſceptae religionis.*

Aldhelmus, qui circa annum DCLXXX. vixit, in libro de virginitate in Bibliotheca Patrum tom. VIII, virgines ſacras abiicere purpuram, eamque principibus ſervare ſuadet: *Non ergo ruituri vetita mundi ornamenta purpureae pretioſis tincturae muricibus colorata alumnis coenobii, vernaculis Chriſti, virginibus eccleſiae, contra Apoſtolica ſtatuta & legalia ſcita rite ac regulariter congruere queunt.*

Gregorius II., qui Romanus Pontifex anno DCCXIV. electus, imperiales litteras purpureo encauſto, ſeu cinnabari ſcriptas ſe accepiſſe, in epiſtola ad Leonem Iſaurum ita declarat. *Cum litterae tuae, & non alienae ſigillis imperatoriis obſignatae eſſent, & accuratae intus ſubſcriptiones per cinnabarim propria manu tua, ut mos eſt Imperatoribus ſubſcribere.* Hoc vero cinnabari, quo ſcriptas Imperatoris Leonis Iſauri litteras fatetur Gregorius Pontifex, omneſque ſequentium Imperatorum litteras ſcriptas teſtantur Graeci hiſtorici, non iam fuit illud cinnabari, aut minium, quod ex fodinis hauritur, ſed atramentum fuit purpureum conchyliorum ſanguine conſtans, quo atramento, poſt editam a Leone legem, quam cap. LVII. retulimus, privatis omnibus vetito, uni Graeci Imperatores in ſcribendis epiſtolis tamquam imperii ſigno uterentur. Et ſane hac de re prae omnibus Montfauconium in Palaeog. Graec. lib. II. cap. I. differentem audiamus: *Ad ſubſcriptiones Imperatorias, quarum exempla duo adferimus, aliud Conſtantini Imperatoris cuiuſdam, aliud vero Irenes Ducaenae Auguſtae, purpureus color adhibetur, qui vulgari uſu apud ſcriptores maxime Byzantios dicitur cinnabaris* κιννάβαρις, *unde paſſim apud eoſdem memoratas obſerves ſubſcriptiones Imperatorum* διὰ κιννιβάρεως. *Erat porro cinna-*

nabaris liquor ex coćto murice, & trito conchylio, vel, ut Plinius ait, ex muricis ſanguine confećtus. Cuius primam confećtionem, ſeu εργατικαν *inveniſſe dicitur quidam Callias Athenienſis in Collećt. Hiſtor. Scaligeriana pag.* CCCXXIII. *edit.* 2. *Qua de re Nicetas Choniates Acominatus haec habet Annal. lib. I. pag.* XXXIV. Γραμματα ερυθροτημανθον, σφραγιδι τε χρυσεια και σηρικω νημαθι, εμπεδον, κογχης αναδεδευμενω αιματι, τω κληρω του μεγαλου νεου αναδιδωσι. *Litteras rubro ſignaculo, aureoque ſigillo, & ſerico filo munitas, ac conchae ſanguine tinćtas clero magni templi offert.* Et paucis interpoſitis ερυθροδανουμενην βασιλειον γραφην *rubricatas imperatorias litteras.* Hanc vero Montfauconii de purpureo cinnabari magis etiam probabimus opinionem, ſi animadverterimus, quod iidem Graeci ſcriptores modo cinnabareas, ut ita loquar, modo purpureas haſce Graecorum Imperatorum litteras vocitent, quod litterarum harum, quae adhuc extant, color ipſo Montſauconio eodem loco teſtante violaceus ſit, nimirum vere purpureus, non vero acute rubicundus, uti minii, cinnabariſve color eſſe conſuevit, quod denique purpurea ſcriptura tamquam imperii ſignum ſolis quidem Imperatoribus ſervari potuerit, cum purpurae tunc in Byzantinis tantum baphiis ad eoſdem Imperatores ſpećtantibus tingerentur, neque ad privatos emanare poſſent, ſcriptura vero foſſili minio, aut cinnabari confećta numquam ſolis Imperatoribus ſervari potuiſſet, cum paſſim haec corpora ex fodinis eruta, maxime apud populos, & reges imperio non ſubiećtos, etiam invitis Imperatoribus, a quocumque privato obtineri, & ad ſcripturam adhiberi potuiſſent.

Audivimus cap. XXXIII. epiſtolam Stephani, qui anno DCCLIII. Pontifex maximus renunciatus, purpurae uſum etiam tum communem apud Clericos fuiſſe referentem.

Arigiſum Beneventanorum Ducem, circa an. DCCLXXIV. viventem narrat ex diplomate Cl. Praeſul Stephanus Borgia Congregationis de Propaganda Fide a ſecretis, quem honoris cauſſa nomino, in tom. I. Memoriarum Beneventanarum pag. CCLXXI. *Tyria multa* Monaſterio S. Sophiae donaſſe. Eumdem Ducem idem Cl. Vir eod. tom. pag. CCXXVIII. *plurimas purpureas veſtes* Mercurio Martyri donaſſe refert ex Aćtis eiuſdem Martyris ſaeculo VIII. exaratis: Idem denique Cl. Vir eod. tomo pag. LXIII. monogrammata omnia, quae in diplomatibus eorumdem Beneventanorum Ducum occurrunt, purpureo colore omnia exarata confirmat.

Monachus Sangallenſis, qui circa annum DCCC. vivebat, lib. II. cap. XXVII. de rebus bellicis Caroli magni narrat, eumdem Carolum, cum Francorum, & Langobardorum nobiliſſimum quemque apud Forum Iulii in Venetis venatum duxiſſet, eumdem, inquam, Carolum, eiuſque Francos principes pellibus indutos vim tempeſtatum optime effugiſſe, non vero Langobardos principes, utpote purpura Tyria ornatos, quam Veneti mercatores ex orientalibus regionibus advexerant. *Ceteri vero utpote feriatis diebus, & qui modo de Papia veniſſent, ad quam nuper Venetici de tranſmarinis partibus omnes orientalium divitias advećtaſſent .... Tyria purpura circumamićti procedebant.* Hinc palam fit, cum Carolus magnus, Francique principes pellibus, non purpura induti eſſent, ignotas fuiſſe in occidentali Europa purpuras, in qua Europa Carolus ipſe longe, lateque tunc temporis imperitaret. Patet ſecundo, ipſam Italiam caruiſſe purpuris, & Langobardos, ſive Italicos principes eaſdem a regionibus tantum orientalis Graeci imperii repetere conſueviſſe. Patet tertio Clericos ipſos ex eodem orientali imperio purpuras, quibus ſacras veſtes tum ornare ſolebant, eduxiſſe. Apparet quarto, unos Graecos Imperatores hi-

ſce

ſce temporibus purpuris potitos, eoſdemque fortaſſe lucri ergo ipſas purpuras mercatoribus vendidiſſe in exteras regiones deferendas. Nec vero purpuram illam Tyriam, quam Monachus Sangallenſis memorat, purpuram Tyri confectam putemus, tum quia ea urbs a Saracenis ſubacta tunc temporis vel inter ruinas iaceret, vel a barbaris Saracenis ipſis incoleretur, & nullo proinde purpurarum artificio poti- retur, tum quia cap. V. & XXV. vidimus, Tyriam purpuram eam fuiſſe, non quae tantum Tyri conficeretur, ſed quae rubida eſſet, & proprio quodam ſuo artificio, licet ubivis gentium compoſita, eamdemque rubidam purpuram dictam fuiſſe fortaſſe Tyriam, eo quod eadem Tyri felicius, quam in ceteris regionibus procuderetur. Exiſtimandum igitur, purpurarios artifices, Tyro a Saracenis capta, Conſtantinopolim effugiſſe, ibique purpurarias officinas aliquot inſtauraſſe, in quibus non minus violaceam, quam rubidam purpuram, quae Tyria dicebatur, uti prius, effingerent.

Diſtinguit enim profecto Anaſtaſius purpuram hanc Tyriam a purpura Byzantina in Vita Paſchalis I., referens eumdem circa annum DCCCXVII. Romanis templis muneri dediſſe *crucem de blattin .... periclyſin de blattin ... veſtem de blattin Byzanteo ..... vela ſerica de blattin Byzanteo ..... vela de quadruplo quinque, & vela Tyria duo*. Nec non Leonem III. eius ſucceſſorem dediſſe *chryſoclabam ex blattin Byzanteo habentem hiſtoriam Nativitatis, & S. Simeonis*. Ex quibus Anaſtaſii locis apparet profecto, duo purpurarum genera apud Graecos eius temporis fuiſſe, alterum Byzantinum, alterum Tyrium, ſed utrumque genus apud Conſtantinopolim tantum, quo fere imperium Graecum erat contractum, fuiſſe confectum, neque forſan alia ratione illam Tyriam, hanc Byzantinam purpuram vocari conſueviſſe, niſi quod illa rubido colore, ut quondam Tyria, haec vero violaceo colore inficeretur.

Iterum hic etiam referatur charta quaedam aetate, ut putatur, Caroli magni exarata, ex Archivo Lucenſi deprompta, & a Cl. Muratorio in diſſert. XXIV. tom. II. Antiquitatum medii aevi relata, quae inter plurima alia, purpurae etiam artificium, forſitan a Graecis, ſed indiligenter, hauſtum, & proinde non omnino ignotum ita barbare deſcribit: *De conquilium. Conquilium naſcitur in omne mare, pluſquam in inſula, in his lacis. Concula habet in ſe locum ſanguinis, & ſanguis rubeus porfirizontas, ex quo porfira tinguitur. Collicitur autem ſic. Tolle conquilium, & quoquet ipſum ſanguinem cum carnibus, & tolle moriam de mare, aut ſaliſmorie, & componis in vas, & dimittis.*

Plurimos vero ſcriptores eccleſiaſticos, quos cap. XXXIII. retulimus, qui omnes circa hanc temporis periodum vixere, quique maxime apud clericos tum purpuras fuiſſe uſurpatas memorant, brevitatis gratia conſulto praeterimus.

CAPUT LX.

De uſu purpurarum a decimo ſaeculo ad imperii orientalis ruinam.

TAncmarus presbyter, qui circa annum M. vixiſſe fertur, ab eodem Muratorio in memorata diſſertatione relatus, in cap. XXVII: Vitae B. Bernvvardi, purpurarum meminit, quae apud Romanam aulam adhuc in honore eſſent, & vigerent: *Equis apoſtolica ſella Romano more oſtro inſtratis*. Iam vero hic monendum, oſtri nomine nequaquam intelligendum colorem coccineum, uti vulgi error fer-

fert, ſed purpuram violaceam, aut rubidam, quae a coccineo colore plurimum differret, uti praeſertim cap. XIX. confirmavimus.

Penes Theobaldum S. Liberatoris Abbatem, qui circa annum MXIX. vixit, ab eodem Muratorio ibidem relatum, commemorantur *duae ſcaramangiae*, *una diarodina*, (roſacei, aut coccinei coloris) *& una purpurea*.

Teſtante Niceta Choniate lib. III. n. V. Imperator Iſaacus, qui circa annum MLVII. rerum apud Graecos eſt potitus, ſuis etiam praecipuis miniſtris ſcribendi purpureo cinnabari facultatem conceſſit.

B. Petrus Damianus, qui circa annum MLVIII. floruit, opuſc. XXXI. cap. VI. refert purpuras ſuis temporibus deſpectas, veſtes vero variis herbarum coloribus fucatas in maiori pretio fuiſſe: *Regalis itaque purpura, quia unicolor eſt, vilipenditur. Pallia vero diverſis fucata nitoribus ad ſublimis lectuli deputantur ornatum*. Mirum hic certe videri poſſit, purpuras illas tot eximiis dotibus ornatas, antiquis populis, & principibus adeo prae ceteris coloribus expetitas, tot laudibus ab antiquis ſcriptoribus cumulatas, tanto ſequioribus hiſce temporibus deſpectui fuiſſe, ut illis viliores herbarum colores anteponerentur. Triplex autem mutationis huiuſce cauſſa eſſe potuit, quarum prima pretii magnitudo, ſecunda vero difficultas ex Conſtantinopolitanis officinis purpuras repetendi, quae unae tunc in orbe terrarum haberentur, tertia denique ipſarum purpurarum Byzantinarum turpitudo fuit. Iam enim conſtat Thraciam, in qua Conſtantinopolis, fere uti Pontum, ad ſeptemtrionem vergere. Vidimus autem cap. XX., in Ponto ceteriſque huiuſmodi regionibus ad ſeptemtrionem poſitis purpuram nigram, aut lividam tantum educi potuiſſe. Byzantinas igitur, aut Thracias hiſce purpuras, nigras aut lividas potius quam rubidas, aut violaceas fuiſſe oportuit. Cum igitur inamoeni illi colores nigri, aut lividi, quibus unis tunc temporis purpurae tingerentur, nihil fere oculos delectarent, factum eſt, ut occidentales populi Byzantinae purpurae aut rariori, aut obſcuriori vividiores colores licet herbis factos anteponere inciperent, ita tamen ut non uno colore, ſed pluribus veſtes tingerent, atque ita amiſſae purpurae admirabilem illam coruſcationem, & verſicolorem varietatem, varietate ipſa fixorum colorum penſarent. Mos huiuſmodi vero veſtes pluribus coloribus in ſpeciem tingendi, ut purpurarum, inquam, ſplendorem varietate colorum aequarent, medio aevo plurimum percrebuit, ut eorum temporum hiſtoriae docent, moſque ipſe in ſervorum publicorum, & privatorum, Helvetiorum ſatellitum, militumque veſtibus etiam adhuc ſupereſt, & perſeverat.

Anna Comnena lib. III. Alexiados fidem facit, Imperatorem Alexium ipſius Annae patrem muneri dare ſolitum *εκατον βλαττια centum purpureas veſtes* ſingulis annis Henrico Germanorum Imperatori, qui circa annum MC. vivebat.

Nicetas Choniates lib. I. hiſtoriae refert, Alexium ipſum purpureis calceis inductis Imperatorem renunciatum.

Nicephorus Gregoras in ſua hiſtoria idem uſuveniſſe memorat, cum Irene Imperatrix renunciaretur.

Idem Nicetas Choniates ipſo lib. I. de geſtis Emmanuelis, nec non Georgius Logotheta in Conſtantinopolitano Chronico aiunt, Graecos Imperatores eo adhuc tempore purpureo enchauſto ſcribere epiſtolas perſeveraſſe. Novellae ſiquidem editae Emmanuelis Comneni, qui anno MCXLVIII. Imperator electus, eaſdem omnes cinnabari ſcriptas in calce teſtantur. Emmanuelis eiuſdem, nec non Iohannis Comneni duae, vel tres Graecae epiſtolae ad Romanum Pontificem purpureo cinna-

cinnabari expreſſae in ſubnotationibus habentur, ſervanturque adhuc in Chartophylacio Arcis Hadrianae, nunc S. Angeli Romae, quas edendas parat Cl. Vir Iohannes Chriſtophorus Amadutius amicus affinis, & popularis meus ad calcem operum ex Graeco vernaculo idiomate Demetrii Pepani Chii, quae nunc praelum habet.

Georgius Logotheta in eodem Chronico narrat, Pelagium Pontificis Innocentii III. Legatum, purpurea, nimirum violacea, aut rubida veſte indutum; Conſtantinopolim, ubi tum Latini rerum potirentur, introiiſſe triumphantem.

Rolandinus Patavinus, a Muratorio eodem loco relatus lib. I. cap. XIII. ſui Chronici ad annum MCCXIV. memorat coccineos, & purpureos colores tamquam ſuis temporibus in occidente adhuc a mercatoribus advectos, & uſitatos, *purpuris*, *ſcarlatis*.

Duo diplomata Balduini II. Imp. CPolitani data annis MCCXLVII., & MCCXLVIII., & purpureis litteris ſcripta in Archivo Regis Chriſtianiſſimi adſervari Odo Cluniacenſis in Vita Burchardi Comitis Corbol. adfirmat.

Michael Palaeologus, qui anno MCCLIX. Imperator factus, Andronico imperii collegae purpureas litteras adhibendi poteſtatem fecit, uti ait Pachimeres lib. IV. cap. XXIX., & Gregoras lib. IV.

Epiſtolas purpureis litteris ductas, ab Andronico Palaeologo ſeniore ad Carolum Pulchrum Regem, & ad Benedictum de Cumis Dominicanum anno MCCCXXVIII. datas in eodem Archivo Regis Chriſtianiſſimi adſervari idem Odo in eadem vita Burchardi Comitis nobis fidem facit.

Litteras purpureas a Iohanne Palaeologo ſcriptas ſe quoque accepiſſe teſtatur Gregorius XI. apud Wadingium anno MCCCLXXV.

Iohannes Cantacuzenus lib. I. hiſtoriae narrat, Andronicum iuniorem diademate, & purpura ab Epiſcopis conſecrata ornatum, cum anno MCCCLXXXVI. Imperator crearetur. *και την πορφυραν, και το διαδημα ενδιδυσκουσι προτερον των αρχιερεων ευλογουντων αυτα. Induunt eum purpura, & diademate prius per Epiſcopos ſacratis*.

Codinus Curopalates, qui circa annum MCCCCXL., nimirum circa ipſam Graeci imperii ruinam floruit, cap. II. & IV. ſui libri de Officiis Aulae, & Eccleſiae Conſtantinopolitanae nuncupat *καββαδιον βλατινον pileum purpureum*, *το συρμα βλατιον*, *ſyrma purpureum*, tamquam ornamenta, quibus eiuſdem aulae miniſtri adhuc uterentur.

Anno demum MCCCCLIII. Byzantium captum, imperium Graecum deletum, purpuraria ars cum ceteris omnibus a Turcis peſſumdata, & extincta.

Anno autem MCCCCLXIV. nimirum XI. poſt deletum Graecum imperium annis Paullus II. Romanus Pontifex veſtes coccineas S. R. E. Cardinalibus, ſibique conſtanter conſtituit. Iam enim purpurae cum Graeco ipſo imperio penitus interierant, cogebanturque Romani, & Latini Praeſules, violaceos, aut rubidos purpureos colores herbis ſimulare, qui mos adhuc apud eoſdem perſeverat. Cum igitur coccineus color, qui adhuc vigebat, & viget, multo floridior violaceo herbis confecto colore videretur, factum eſt, ut Romani Pontifices coccineam floridiorem veſtem ſibi, & Cardinalibus conſtituerent, quo ſua, & Cardinalium ipſorum dignitas maiore coloris diſcrimine a ceteris Praeſulibus notaretur. Hinc hodie S. R. E. Cardinales coccinati, reliqui Romani, & Latini Praeſules adhuc purpurei, ſed inamoena violacea purpura terreſtri, aut herbis, & vegetabilibus confe-

confecta induti, antiquae violaceae purpurae, qua antiquitus induebantur, obſoletum morem ſecuturi.

Satis igitur conſtat, nobiliſſimum purpurarum artificium licet ſatis deformatum & languens in Graeco imperio uſque ad annum MCCCCL., eiuſdemque imperii ruinam percrebuiſſe, quo tempore Conſtantinopoli inauditis caedibus, & incendiis a Turcis vaſtata, uti nos docent hiſtoriae, purpurarum Byzantinarum, quae unae ſuperfuerant, & artifices, & artificium eadem caede implicitos foede interiiſſe eſt putandum. Qui purpurarum interitus profecto non eveniſſet, niſi Romani, aut Graeci Imperatores ſuperbi animi ergo, purpura privatis omnibus vetita, & ſibi ſuiſque ducibus ſervata, purpurarias officinas, quae plurimae quondam fuerant, ad paucas imperiales officinas primum, deinde ad unam Tyriam, mox ad unam Byzantinam redegiſſent. Quo certe factum eſt, ut Tyria officina a Saracenis, Byzantina a Turcis deleta, Europeae gentes, barbarie diſcuſſa, plurimis artibus reſtitutis, hanc omnium fere nobiliſſimam reſtituere nequiverint, quemadmodum alterum coloris coccinei artificium fere ſervaverunt, quod a Romanis Imperatoribus numquam vetitum fuiſſet, & quemadmodum etiam nobiliſſimam ſerici artem reſtituerunt, & ipſam quidem a Graecis Imperatoribus tectam, cuſtodibuſque, ne evulgaretur, vallatam, ſed vi, bello, & armis per Rogerium Siciliae regem anno MCXXXVIII. ex Graecia in Italiam cum artificibus tranſductam, uti a medii aevi hiſtoriis omnibus comperimus.

Ut igitur purpurarum hiſtoriam enucleantes repetamus, ſatis conſtat nobiliſſimum hoc prae ceteris tincturae genus ante Moyſis tempora apud Aſiaticos repertum, apud antiquas omnes nationes ſtatim evulgatum, cariſſimumque habitum, perpetuo fere privatis vetitum, regibuſque dicatum, a Theodoſii magni tempore perpetuo privatis abreptum, primum ad paucas imperiales officinas, deinde ad unam Tyriam, mox, ad unam Byzantinam redactum, illa a Saracenis, hac a Turcis extincta, tandem cum Graeco ipſo imperio ab eiſdem Turcis anno MCCCCLIII. deleto, lacrymabiliter occiſis omnibus Byzantii artificibus occubuiſſe.

CAPUT LXI.

De purpuris, buccíniſque noſtratibus.

NUlla igitur ſpes affulget mirificum hoc opificium tandem aliquando in hanc cultam Europam revocandi? Nulla profecto, ut aiunt. Conclamarunt enim hactenus viri docti uti irreparabilem purpurarum amiſſum. Huiuſce vero ſententiae graviſſimum illud in medium proferunt argumentum, nimirum antiqua conchylia, quae purpuras produxerint, penitus interiiſſe, neque iam uſpiam reperiri, quamvis in omnibus fere orbis terrarum maribus viri iidem docti ea perquiſierint. Verum nec periere antiqua iſta, quae purpuras produxerint, conchylia, neque irreparabilis eſſe poteſt purpurarum amiſſus.

Et primum neque in phyſicis cauſſa ulla, neque in naturali hiſtoria exemplum ullum proferri poteſt, quibus univerſum animalium genus, immo plura animalium genera, aut penitus interire potuerint, aut revera interierint, uti conchyliis huiuſmodi uſuveniſſe contendunt. Veriſſimae huiuſce ſententiae noſtrae teſtimonia, quod Philoſophis notiſſima ſint, libenter omittuntur. Accedit huc

fere

fere omnia maria, littora fere omnia antiquitus iiſdem purpurariis conchyliis redundaſſe, uti cap. XXII. obſervavimus. Toto vero hoc libro immenſam purpurearum veſtium, & ſupellectilium vim obſervare licuit, quae in omnium ſaepe privatorum uſum per univerſa Mediterranei maris littora tingerentur. Vidimus etiam eodem cap. XXII., hiſce conchyliis antiquos non tantum ad purpuras tingendas, ſed etiam in cibum, & medicinam uſos fuiſſe. Haec autem omnia argumenta clare evincunt, non modo infinitum, ſed etiam cunctis maribus infinite diſſeminatum fuiſſe hoc concharum genus, iiſdemque conchis maria fere omnia antiquitus nativam patriam, & indigenam fuiſſe. Qui igitur fieri potuit, genera animalium ita numeroſa, ita univerſim, conſtanterque diſſeminata univerſim ad unum periiſſe?

Sed ubinam iſtae purpurae, buccina iſta antiquorum, ita paſſim quondam diſſeminata? Eaedem ſunt purpurae, eadem buccina, quae adhuc maria noſtra omnia, ſua multitudine occupare videntur. Nomen, deſcriptio, figura, coloratus ſuccus conveniunt. Nomine quidem conveniunt, cum buccina, & purpurae non minus appellentur hae recentes conchae, quam illa antiqua conchylia appellarentur. Deſcriptio vero, & figura buccinorum, & purpurarum earumdem, quam nobis antiqui praebuere, uti cap. XXII. vidimus, cum deſcriptione earumdem purpurarum, & buccinorum, quam exhibent noſtri naturalis hiſtoriae periti, etiam perbelle quadrant. Significarunt enim nobis antiqui & nummis, & deſcriptionibus purpuras aculeis plurimis, longo, & fiſtulato roſtro donatas, buccina vero rotundo ore inciſuris notato diſtincta, uti purpurae noſtrae plurimis aculeis, longo, & fiſtulato roſtro ornatae, buccina vero noſtra rotundo, & inciſo ore inſignita, & in littoribus noſtris, & muſeis, & in libris noſtrorum rei naturalis ſcriptorum conſpiciuntur. Comparetur quaeſo buccinorum, & purpurarum antiquarum deſcriptio, & figura ab antiquis tradita, cum deſcriptione, & figura, quam nobis recentiores exhibent, ut eadem utrorumque natura clariſſime affirmetur. Oculorum argumentum eſt iſtud, quod nullum dubitationi locum eſt relictum. Accedit etiam quod, quemadmodum omnibus ubique maribus diſperſae, & diſſeminatae fuerunt antiquae purpurae, & buccina, ita innumerabiles, & noſtris ubique maribus diſſeminatae, & diſperſae recentes noſtrae purpurae, & buccina reperiuntur, uti naturalis rei peritis eſt compertum. Quod, quemadmodum plura purpurarum, & buccinorum antiqua genera fuiſſe traditum eſt, ita quoque plura recentium buccinorum, & purpurarum genera eſſe, & littora, & muſea, & libri noſtrorum hominum tradunt. Quod, quae littora redundantia quondam purpurariis officinis leguntur, noſtris quoque temporibus refertiſſima hiſce conchyliis purpurariis conſpiciuntur. Quod unum proximum Ariminenſium, & Anconitanorum littorum exemplum pro omnibus ſatis eſſe poſſit. Quemadmodum enim haec littora inſignia quondam purpurariis officinis fuerunt, ita quoque nunc eadem innumerabilibus purpuris, buccinis, ceteriſque conchyliis ſcatere, fidem facit cl. Ariminenſium noſtrorum ſcriptor Ianus Plancus in egregio libello, qui de conchis minus notis inſcribitur, non minus ac ipſa oculorum experientia, qua ſaepe Sabinianenſium, & Ariminenſium littora huiuſcemodi mortuis conchis referta videmus, huc per procellas ex illis imis pelagi vadis eiecta, unde recentium hominum ſtupor neque ad cibum, nedum ad nobiliſſimos purpureos colores fucandos eas curat eliciendas.

Audivimus denique cap. XXIV. antiqua buccina, & antiquas purpuras can-

dida

Digitized by Google

dida quadam vena in papavere, aut mediis in faucibus inſignitas, in qua vena coloratus quidam ſuccus contineretur. Celeberrimus autem iſte ſuccus, ſive flos, uti antiqui nuncupabant, ex quo ipſo uno purpurei colores quondam eliciebantur, ſimili modo etiam ex recentibus noſtris purpuris, atque buccinis, immo etiam ex aliis concharum generibus, mire effundi obſervatur, qui iam vel coloratus ſit, vel ſi candidus, parvo tempore coloretur. Hunc inquam ſive iam coloratum, ſive parvo tempore colorandum iſtius venae ſuccum in recentibus purpuris, buccinisque, & in aliis etiam concharum generibus, reperiſſe ſe confirmant Britannus quidam praeterito ſaeculo vivens in ſuae inſulae littoribus, Labatius in littoribus Americae, uti afferunt Chamberſius, & Pivatius in ſuis ſcientiarum lexicis ad verba *Purpura & Tinctura*, Reaumurius in Pictonum littoribus, ut ipſe refert in libello in actis regiae ſcientiarum Pariſienſis Academiae relato die XIV. novembris MDCCXI., Iuſſieus in Maſſilienſium littoribus, ut ipſe narrat in ſuo libello in iiſdem actis relato die XIV. novembr. MDCCXXXVI., Ianus Plancus Ariminenſis in ſuis patriis littoribus, ut ipſe in ſuo libello de conchis minus notis teſtatur, Duhamelius in iiſdem Maſſilienſium littoribus, & Mazeas in Venetorum Gallicis littoribus, ut hic ipſe afferit in epiſtola anno MDCCLIX. conſcripta, & in Muſeo Ginannio edita ad pag. CCXII.; Maritius in ipſis Tyri littoribus, ut ipſe in ſuis itinerum libris commemorat, qui nuper Florentiae editi ſunt, & denique Britannus Templemannius nuperrime in ſuae inſulae littoribus, uti nos docet Romana Anthologia num. VII. anni praeteriti MDCCLXXVI., ut plurimos alios praeteream, qui ſaepius in noſtris littoribus hunc iam coloratum conchyliorum ſuccum pluries ſe vidiſſe mihi ſunt teſtati. Rem ipſam vero ego ipſe teſtor. His oculis ego ipſe hunc venae ſuccum ſive florem pluries animadverti, in buccinis quidem rubidum, in purpuris vero nigriorem, ſub qua nigritie tamen velatus quidam violaceus aut rubidus color vix, ac ne vix quidem interlucere conſpiceretur, eumdemque ſuccum denique in conchis hiſce mortuis, aut ſenſim occiſis, aut a vere ad caniculam captis longe deteriorem, ac minorem perſpexi, quae omnia a me obſervata cum antiquorum obſervationibus, quas plurimas ſuperioribus capitibus congeſſimus, adamuſſim & omnino congruere videntur. Plura etiam alia concharum genera iam coloratis, vel parvo tempore colorandis huiuſmodi ſuccis inſignita cognovi, uti mox etiam animadvertendum. Quae cum ita ſint, non dubitandum putamus, quin purpurae & buccina, infinita quorum copia maria omnia noſtra redundant, eaedem ſint purpurae & buccina, quae ad purpuras tingendas quondam adhiberentur, cum tot evidentiſſima argumenta id confirment, & aſſeverent.

CAPUT LXII.

De tentata reſtitutione purpurarum.

VErum aiunt, cl. viros Gallos, & Britannos, quos retulimus, ipſo iam colorato, vel parvo tempore colorando concharum huiuſmodi ſucco purpurarum periculum feciſſe, ſed alia omnia, quam purpuras eduxiſſe. Non id imus inficias. Cl. igitur Galli, & Britanni, quos retulimus, fruſtra purpureos colores ex illis ſuccis educere ſunt conati, & hanc purpurarum artem reſtituere. Referunt enim ſive ex purpuris buccinisque, ſive etiam ex turbinibus, aliiſque conchylio-

chyliorum generibus, (plura enim conchyliorum genera, non ſolas purpuras, & buccina hiſce iam coloratis, vel parvo tempore colorandis ſuccis donata reperiſſe aiunt) hunc ipſum venae ſuccum ſe eduxiſſe, qui primum candidus fuerit, deinde ſtatim calido ſoli oſtentus colores duxerit, viridem prius, inde rubidum, aut rubicundum, verum colores illos, quos eduxerint, ita debiles & evanidos fuiſſe, ut pannis quibuſdam impoſiti, ſtatim ac aqua madefierent, & eluerentur, deficere ſtatim inciperent, mox virides fieri, denique paullo poſt ita penitus evaneſcere, ut illi panni eiſdem coloribus nunquam fucati fuiſſe viderentur. Hinc ignotum antiquorum menſtruum affirmant, quo colores illos ita evanidos antiqui firmiſſimos redderent, & fere aeternos, deploratam proinde eſſe purpurarum artem, ſed tamen iacturam hanc parvi eſſe pendendam, cum color coccineus, aut cocciniliae color, qui vigeſcit adhuc, quemque *ſcarlatto* nominamus, omnibus purpureis coloribus, qui fere omnes triſtiores, & ſaturatiores eſſent, longe omnino ſit anteponendus. Haec & alia huiuſmodi plura cenſorie, ut ſemper, affirmant non tantum cl. viri Galli, & Britanni, quos nominavimus, ſed etiam Goguetius in libro de Origine ſcientiarum & artium, auctores encyclopedici in verbo *Purpura*, plurimique alii ultra Alpes ſcribentes. (1)

Ut autem a poſtremo incipiamus, quam falſa ſit haec ultima ſententia, quamque colores purpurei omnes ob eximias illas quatuor dotes, quas ſupra enarravimus, omnibus noſtris coloribus, & coccineo ipſi ſint anteferendi, manifeſto iam conſtat. Iterum enim affirmare audeo, nullum profecto colorem a noſtris homioibus haberi, qui verſicolori varietate, coruſcatione, aeternitate, mollitie ſit cum antiquis purpuris comparandus. Immo conſtanter exiſtimo, quemadmodum antiqui homines purpureos colores omnibus herbarum coloribus, & ipſi coccineo longe anteferebant, ita noſtros homines reſtitutas purpuras in ampliſſimo dignitatis gradu collocaturos, ceteriſque omnibus coloribus, & ipſi coccineo numeris omnibus praelaturos. Fruſtra deinde queruntur cl. viri, ignotam eſſe artem,

(1) Dum haec edimus, rumor affertur Cl. Feam Taurinenſem Winchelmannii Opus de Proſpectivae artium Hiſtoria lingua Italica donatum Romae hoc anno edidiſſe, eundemque in t. 1. L. VI. C. 1. §. 5. pag. 401. nota *A*, plures de purpurea re ſententias noſtras referre & probare: Nota vero ſequenti *B*. de coloribus & veſtibus loquentem iterum ad alias ſententias de hac re noſtros lectores delegare: id tamen unum ibi Cl. Virum contendere, plenius rem illam a nobis tractari potuiſſe, ſi praeſertim Goguetii Opus de artium origine ad manus habuiſſemus. Gratiam habemus Cl. Feae, quod noſtra probaverit. Ad illud autem, quod ultimo loco ille contendit, reſpondemus nos uni Porphyropeiae reſtituendae intentos fortaſſe nimis de coloribus & veſtibus dixiſſe: hinc plura minus neceſſaria conſulto omiſiſſe: omiſſiones vero plerumque clare pronunciaſſe, & citatis veterum auctorum libris, qui conſulerentur, omiſſiones ipſas ſuppleviſſe: id tum in pluribus libelli noſtri capitibus, tum in hoc ipſo loco, ad quem hanc notam ſubteximus, apparere. Quoad Goguetium vero reſpondemus, nos ut pleroſque alios recentium auctorum de hac re tractantium libros, ita etiam eiuſdem Goguetii Opus inter manus habuiſſe: huius rei indicium eſſe, quod illud hoc loco citaverimus: perlegiſſe; nihil tamen fere novi, niſi falſas ſententias falſis aut nihil tale dicentibus auctorum locis innixas repetiſſe: id ſphalma ſaepius in ipſo Opere offendiſſe: nihil tamen nos eſſe miratos, ſi in hoc turpore iuvenili, & etiam poſthumo, ni fallimur, auctoris Opere id accidiſſet: improvidos editores tantum nos eſſe miratos, qui in Opere tete toto refingendo plurima ſaltim delenda verſo ſaepe ſtylo non deleverint.

c

ſive menſtruum, quo ad firmitatem memoratis ſuccis dandam uterentur antiqui, aut deploratam eſſe purpurarum reſtitutionem. Conſtat enim menſtruum, quo antiqui ſuccos illos ita firmarent, ut immortales redderent, nec eſt omnino conclamata purpurarum reſtitutio. Ut vero id probemus, prius quantum in periculis factis peccaverint noſtri homines cl. Galli, & Britanni, diſquiramus. Infelicius certe periculum nullum factum eſt, ſive materiam, ſive formam ſpectemus.

Plurimum igitur primo quoad materiam viri cl. peccaverunt, cum nonnulli ex purpuris tantum aut ex buccinis tantum eoſdem colores educere curarint, quibus utriſque conchis ſimul iunctis, & non ſeparatis uterentur antiqui, nonnulli autem neque ex purpuris, neque ex buccinis, ſed ex turbinibus aliiſque concharum generibus purpuras educere tentaverint, ex quibus nullos purpureos colores extrahere antiqui unquam conſueſſent, omnes denique ſive ex buccinis, ſive ex purpuris, ſive ex turbinibus, aliiſque concharum generibus rubicundum colorem eliciendum iuxta vulgi errorem ſtatuerint, quem rubicundum colorem nullo modo antiquae purpurae niſi fatuum habuerunt. Mitto eoſdem cl. viros nihil penſi habuiſſe, utrum hiſce conchis vivis, an mortuis, uno ictu, vel ſenſim occiſis, aeſtate an hyeme captis uterentur, quod plurimum iuxta antiquorum leges ad firmiores vel infirmiores purpuras cudendas referret, uti ſuperioribus capitibus eſt obſervatum.

Forma verum & artificio etiam cl. iſti viri peccaverunt. Audivimus enim non omni purpurarum, & buccinorum, ſed tantum cuiuſdam eorum venae parvo ſucco antiquos uſos, eumque triduo ſale, decem diebus fervore, & igni maceraſſe, in cortinas plumbeas coniicientes, certam aquae copiam miſcentes, alterum altero ſucco temperantes. Nihil horum vero per noſtros cl. viros factum eſt. Nec ſale, nec aqua, nec igni, nec maceratione, nec fervore ullo uſi ſunt, ſed ſuccum omnem & aptum, & ineptum alterutrius tantum ex iſtis conchyliis ad unum ſolis calorem paucis diebus aut horis expoſuerunt. Si igitur hi docti viri aut nullis, aut non omnibus antiquis purpurariis conchyliis uſi ſunt, ſi totam antiquorum artem, aut menſtruum omiſerunt, quid mirum ſit, eos voti compotes non factos, & indiligentiſſimum eorum periculum nihil aliud eduxiſſe, quam colorem quemdam rubicundum, quem purpurae antiquae nunquam exhibuerunt, & colorem rubicundum ita levem, & fatuum, ut a qualibet aquae quantitate protinus dilutum extingueretur. Et tamen noſtris hiſce Cl. Gallis, & Britannis facile fuit intellectu, Plinio ceteriſque priſcis ſcriptoribus, quos attulimus, praeeuntibus, una arte, & uno menſtruo ſaliturae, & copturae antiquos uti conſueviſſe, quod illud unum menſtruum idoneum comperiſſent, quo nedum firmitate, ſed etiam immortalitate illa, quam memoravimus, purpurei colores donarentur: Eoſdem antiquos non alterutris, ſed vel uno purpurarum ſucco, vel ad ſummum utriſque ſuccis & purpurarum & buccinorum uſos, quod buccinorum ſuccus poſt ſalituram, & fervorem rubicundus quidem, ſed fucum tamen adhuc remittens, nulla alia re niſi ſucco purpurarum admixto tenax, & indelebile reddi poſſet, qui purpurarum ſuccus poſt copturam, & ſalituram niger non ſolum, ſed etiam fixus, & apprime cohaerens fieret: Et denique antiquos ipſos in condendis purpuris, perpetuo a ſuccis licet coloratis, aut parvo tempore colorandis turbinum aliarumque concharum abſtinuiſſe, quod forſan experimentum feciſſent, hoſce turbinum aliarumque concharum ſuccos etiam poſt huiuſmodi macerationem ita vappas remanere conſueviſſe, ut ne ipſe quidem fixus purpurarum ſuccus, cum quo miſcerentur, aptus eſſet, ut eos illa diuturna cohaerentia donaret, qua maxime antiquae purpurae commendarentur.

Sphal-

Digitized by Google

Sphalmata autem a Cl. noſtris Gallis, & Britannis in experiundis purpuris admiſſa, non haec una, licet plurima, & graviſſima, fuerunt. Legimus in tranſactionibus Philoſophicis Londinenſibus tom. VII. pag. DCCCXXV. Oceanum omnino carere purpuris. Immo id etiam ipſa Notitia Imperii cap. LVI. relata confirmare videtur, quae officinas purpurarias omnes in mediterranei maris littoribus, nullas vero in littoribus Oceani recenſet. Quomodo igitur praeſertim Britanni in Britannico Oceano, & Galli Reaumurius, & Mazeas in Oceano Gallico, producere purpuras potuiſſent e ſolis buccinis, purpuris omiſſis, quae in Oceano nequaquam degunt, quaeque purpurae ad formandos colores purpureos ſunt apprime neceſſariae, & ſine quibus purpuris antiqui neque ſolebant, neque poterant colores ipſos purpureos inducere, uti ſuperioribus capitibus eſt probatum? Deinde vero ut concedamus, etiam purpuras in Oceano reperiri, clariſſima ſunt teſtimonia Ariſtotelis, Plinii, Vitruvii cap. XX. a nobis relata, purpuras, & buccina Galliae, Britanniae, ceterarumque ad ſeptemtrionem vergentium regionum unos purpureos colores nigros produxiſſe, non vero rubidos, violaceos, caeruleos, croceos, multoque minus rubicundos, qui purpureus color rubicundus vix ac ne vix quidem niſi in Perſide, & India ab antiquis haberetur. Quomodo igitur hodie eſt putandum, ſive buccina, ſive etiam purpuras Angliae, Galliae, ceterarumque huiuſmodi regionum, alium colorem daturas fuiſſe, quam viliſſimum nigrum, aut quomodo colorem alium purpureum, praeterquam nigrum ipſum, ex harum regionum conchyliis educere hi docti viri potuiſſent, quamvis utrumque conchyliorum genus adhibuiſſent, quod infeliciſſime praeterierunt, & quamvis omne antiquorum opificium adhibuiſſent, quod aeque etiam infeliciſſime praeterierunt.

Sed pretium eſt operae etiam attendere, feliciſſimum experimentum ſeſe obieciſſe Cl. viris, quod ab iiſdem non eſt animadverſum. Si enim in memoratis ſuis periculis obſervarunt viri docti ſuccum prius candidum eorumdem conchyliorum in rubidum, aut rubicundum eſſe verſum ſola tenuiſſima actione aeris, & ſolis, & paucis diebus aut horis, quo magis iudicandum per eos fuit, ſuccos eoſdem in rubidum, violaceum, alioſque colores verſum iri, ſi potentiſſimae ſalis, & ignis actioni per plurimos dies, uti mos erat antiquis, obiicerentur. Hinc nos omnes hoc virorum doctorum experimentum doceat, flores buccinorum, & purpurarum natura ita inſtitutos eſſe, ut colorem ſuum vel ſponte, vel macerationis ope mutare poſſint, & ſi tenuis ſit maceratio, mutatos colores debiles, & evanidos futuros; ſi vero violenta fuerit maceratio, mutatos ipſos colores ita firmos, & fere aeternos evaſuros, ut nulla vis eos delere, aut minuere poſſit. Doceat etiam in qualibet ſive tenui, ſive violenta ſuccorum eorumdem maceratione, primum viridem, deinde in buccinis rubicundum, in purpuris nigrum colorem produci, ſuccos denique eoſdem in regionibus ad meridiem verſis poſt violentam illam ſalis & ignis macerationem daturos colores purpureos violaceos, rubidos, caeruleos, flavos, rubicundos, candidos, ceteroſque mixtos, quos retulimus, eoſdem vero ſuccos regionum ad ſeptemtrionem vergentium poſt eamdem maioremve etiam ſalis & ignis macerationem in unum inamoenum purpureum colorem nigrum abituros.

CAPUT LXIII.

De vera reſtitutione purpurarum.

QUae cum ita ſint, iam tempus poſtulare videtur, ſerio tandem aliquando de reſtituendo nobiliſſimo hoc purpurarum artificio eſſe cogitandum, cuius artificii nullum vidimus adhuc diligens periculum factum, quodque artificium, quemadmodum inter antiqua opificia ſtupor & admiratio habitum eſt, ita etiam recentium opificiorum fere maximum ſpectaculum omnino haberetur. Id facile fiet, ſi ea omnia peragantur, quae iuxta antiquorum placita requiruntur, quaeque iratis, ut aiunt, Diis hactenus ſunt omiſſa. En leges opificii, quae fuſius hactenus relatae hic in breve orationis ſpatium cogentur.

Noſtrates ipſas purpuras, & buccina adhibeto, ceteras conchas abiicito.

Concharum illarum piſcatum peculiaribus naxis, peculiaribus eſcis, a canicula ad ver, ſive a ſeptembri ad martium menſem facito, vivas capito.

Uno ictu ſaxis aut trapetis occidito, flores aut venae ſuccos e magnis extrahito, parvas fere integras adhibeto.

Flores buccinorum, flores purpurarum ſeparatim tribus diebus ſalitos ſervato, ſextantem ſalis ſive uncias viginti in ſingulas venarum centenas (potius vicenas) libras adhibeto.

In plumbeas cortinas ſeparatim iniicito, aquam ex tertia parte infundito.

Lento igni per decem dies fervere ſinito, carnes inter fervendum deſpumato.

Lanam puram prius lixiviis ſubiicito, tum tincturae manus admoveto.

Ut dibapham purpuram violaceam facias, lanam prius in buccinorum cortinam quinque horarum ſpatio demittito, tum inde extractam & carminatam in purpurarum cortinam altero quinque horarum ſpatio deiicito.

Ut autem dibapham rubidam purpuram Tyriam facias, lanam eodem modo praeparatam prius in viridem adhuc purpurarum cortinam quinque horarum ſpatio coniicito, inde eodem modo extractam & carminatam in buccinorum cortinam eodem quinque horarum ſpatio immittito.

Ut haſce duas purpuras dibaphas facias, libras ducentas ſucci buccinorum, libras centum & decem ſucci purpurarum in ſingulas lanae decem libras adhibeto.

Adiecta aqua ex tertia parte integram mixturam librarum quatuor centum ſexaginta quinque facito, hanc mixturam poſt lentum fervorem fere ad viginti libras craſſi glutinis redigito.

Ut autem purpuras conchyliatas caeruleas hyacinthinas, caeruleas molochinas, & flavas facias, lanam ut ante praeparatam in unam purpurarum cortinam quinque horarum ſpatio, buccinis omnino omiſſis, iniicito.

Ut haſce purpuras conchyliatas facias, libras tantum quinquaginta quinque ſucci purpurarum in ſingulas lanae decem libras adhibeto, adiecta ex tertia parte aqua lotio aut iure temperata integram mixturam librarum fere octoginta facito.

Purpuras rubicundas ſolis buccinis facito, ſed uti evanidas fugito.

Si maiorem buccinorum quam purpurarum copiam adhibueris, purpuras rubicundiores, ſed infirmiores facito, ſi vero maiorem purpurarum, quam buccinorum copiam adhibueris, purpuras nigriores & firmiores facito.

Purpuras rubicundas, & candidas tantum in Perſide & India, ubi non evanidae, ſed firmiſſimae, oleo aut melle admixto conficito.

Dupli-

Duplicatis artificiis purpuras mixtas facito.

In Oceano, ubi nullae conchae purpurae, nullas purpuras tentato.

In Gallia ad Mediterraneum & in Ponto, ceteriſque maris Mediterranei littoribus ad ſeptemtrionem vergentibus unas purpuras nigras habeto.

Clariſſimas in Hiſpania lividas, in Italia violaceas, in Laconia, in Phoenicia, in Aſia, in Africa rubidas purpuras habeto.

Diverſa, quae relata ſunt, artificia purpureos colores fere omnes ubivis gentium reddunto, ſed colores illi feliciores in regionibus ad meridiem poſitis ſunto.

In Gallia tamen, & in Ponto, ceteriſque maris Mediterranei regionibus ad ſeptemtrionem vergentibus, & ſi omnia artificia adhibueris, nullas alias purpuras quam nigras, uti dictum eſt, tentato.

Maximos etiam ſumptus animadvertito, maximo tamen etiam pretio vendito.

Ita, hae leges omnes ſi ſerventur, nobiliſſimas purpuras certiſſimo poſtliminio revocatum iri ſpondere audeo, ſi tamen haec tantummodo prius monuerimus. Plurimos forſan numerorum errores in editionibus Plinii ceterorumque ſcriptorum, quos retulimus, latere poſſe. Eoſdem ſcriptores plurimas forte minutiores circumſtantias, a quibus maxime pendent opificia, reticere & omittere potuiſſe. Pericula plurima idcirco facienda, ſumptuſque, qui per ſe maximi, multiplicandos. Haſce duas res me cenſu minimo hominem hactenus a ſumptuoſis periculis iſtis faciendis deterrere potuiſſe. Sperare, alios opulentiores non deterrituras. Id ſi contingat, rem actam eſſe, novoque ſpectaculo Europam eſſe donatam. Si id vero non contigerit, illud omnino noſtris hominibus fore exprobrandum, quod in memorata Caſſiodori epiſtola Theodericus ſui Hydruntini baphii praefecto exprobrarit: *Quod ſi conchyliorum qualitas non mutatur, ſi torcularis illius una vindemia eſt, culpa nimirum artificis erit, cui ſe copia nulla ſubtraxit.*

APPEN-

APPENDIX

DE ANTIQUA ET NUPERA PURPURA

DISSERTATIO

JOHANNIS BAPTISTAE CAPELLII

VENETI PHARMACOPOLAE

Adiecta Pharmaceutico Chimico eiuſdem auctoris Lexico Venetiis anno MDCCLXXV. typis impreſſo. (I)

NON dubito fore pleroſque, qui rem minus utilem me facturum iudicent, ſi hanc de marina Purpura ſcriptionem inſtituero, cuius purpurae vel in rerum naturalium, vel in artium deperditarum hiſtoria tantula monumenta ſuperſunt. Sed ſi humanorum temporum viciſſitudines novas artes inducere, huiuſce vero nobiliſſimi coloris uſum extinguere potuerunt, non tamen iactura eiuſdem purpurae eſt omnino conclamanda, utpote quam in eum locum reſtitutum iri adhuc ſit ſpes, quem ab heroicis temporibus ad ſextum uſque ſeculum Chriſtianae Epochae cum ingenti gloria obtinuiſſe ſcimus. (II) (*Horat. art. poet.*)

Multa renaſcentur, quae iam cecidere, cadentque
Quae nunc ſunt in honore.

Iacebant porro viginti ab hinc annis hi commentarioli in ſepoſitis membranis, ſed cum, ut illos ederem, auctor mihi fuerit amicus ſummus meus Johannes Baptiſta Vallius Vicentinus Pharmacopola naturalis hiſtoriae prudentiſſimus, qui mihi, utpote qui Venetiis loco purpurariis obſervationibus obeundis maxime idoneo vitam agerem, huic operi manus admovere, cum in vivis degeret, perſuaſerit, ita iure merito, ut memoriam docti viri excitarem, & ut gratiam aliquam

---

(I) Initio ſuperioris libelli noſtri breviter praefati ſumus, plurima nova, plurima etiam omnibus noſtrorum hominum libris adverſantia in eodem libello eſſe invenienda, nos autem neminem accuſaturos, cauſſam tantum noſtram dicturos, lectores doctos iudicaturos. Nunc autem iterum breviter praefari operae pretium duximus, hanc nuperam de Purpura tractationem, quod brevis ſit, quod omnes nuperorum Scriptorum errores complectatur, quod nonnulla etiam nova ab auctoris penu depromat, Latina lingua donatam, notis perpetuis emendatam, huic tertiae libelli noſtri editioni ſubiecturos; ita nuperis omnibus Scriptoribus reſponſuros, purpuream materiam fere abſoluturos, ingentem librum ingens malum non facturos. Quod iterum igitur fauſtum felixque ſit, initium rei facimus.

(II) Brevitas, quam praefati ſumus, poſtulat, ne demonſtrationes ſuperioris noſtri libelli hic rurſus iterentur. Hinc ſequentibus notis ſaepius ad cohaerentia Capita eiuſdem libelli lectores delegabimus. Id ſemel monuiſſe ſuffecerit. Sphalma igitur primum emendemus. Purpurae uſus non iam uſque ad VI. ſeculum, ſed quoad privatos omnes uſque ad Theodoſium Magnum, & ad ſeculum IV., quoad vero Imperatores Romanos aut Graecos & principes Imperii Viros uſque ad medietatem ſeculi XV., & ad ruinam Graeci Imperii perduravit. Capit. LVIII. LIX. LX.

Digitized by Google

quam referrem, informes ipſos commentariolos de antiqua purpura componere ſtatui, immo adnectere etiam de nupera Purpura tractatiunculam, ne hae artes quoque noſtrae, quae multo nunc in honore habentur, ex memoria hominum aliquando dilabantur, uti purpurarium opificium ex memoria noſtrorum hominum factum eſt, ut malo fato dilaberetur.

Marina itaque Purpura, quae maximum principum virorum ad ſextum uſque ſeculum fuerat ornamentum, ex quarundam marinarum concharum, quas univalvas & turbinatas vocant, ſanguine aut potius ſucco educebatur. Quod vero etiam ad id ſeculum marina Purpura claruerit, ex Caſſiodori epiſtola liquet, lib. I. ep. II. Var.) quam Theonio Tarentino Praetori ſcribit, (III) & in qua eum acriter incuſat, quod annuas Purpuras ad regiam Theodorici domum quanto ocius tranſmittendas non curaverit. *Quid enim agunt tot artifices, tot nautarum catervae, tot familiae ruſticorum ... Quod ſi facultatis tuae adhuc cura non deſerit, ſi ſalutis propriae non tangit affectus, intra illum diem, imminente tibi harum portitore, cum Blatta, quam noſtro cubiculo dare conſueviſti, venire feſtina ... Eoa Tyros eſt Hydron Italica, aulicum profecto veſtiarium*. Qua epiſtola edocemur marinam Purpuram maximi eo quoque ſeculo aeſtimatam, utpote quae ex uſu regis Theodorici eſſet, eiuſdemque Purpurae nomen iam labente Latina lingua in illud Blattae, aut blattei coloris tranſiſſe, fortaſſe quod ſimilis color blattis aut vermibus conficeretur, uti Turnebus ſuſpicatur, nimirum fere ille color, qui nupera noſtra coccinilia exprimitur: (IV) *paraverat funes blatta & ſerico & cocco intortos*, ut in Elagabali Vita ait Lampridius. (V) Quod enim ſecundum coccum antiquis temporibus optima Purpura etiam ex aliis vermibus duceretur, locus eſt Iſaiae: (Cap. I. verſ. CLXXXI.) *Si fuerint peccata veſtra, ut coccinum, quaſi nix dealbabuntur, & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, velut lana alba erunt*. (VI)

O Seytum

(III) Non Theonio, ſed Theoni: non Praetori, ſed Baphii Hydruntini Praepoſito. Praetores iam enim ſub antecedentibus Imperatoribus, nedum ſub Theodorico Gothorum rege obſoleverant. Integram hanc Caſſiodori epiſtolam Cap. LVIII. nos dedimus.

(IV) Color cocci aut cocciniliae non ſimilis Purpurae, ſed diſſimillimus fuit. Ille blattis aut vermibus confectus, & rubicundus. Cap. XVI. Haec conchis marinis confecta, & nunquam rubicunda. Cap. XIX. Igitur ſi hanc etymologiam ſpectaremus, non Purpuram, ſed potius colorem cocci aut cocciniliae Blattam, aut blatteum vocari oportuiſſet. Blattae autem, ſeu blattei coloris nomen, quo profecto Purpura ſequiore linguae Latinae tempore indigitabatur, ex naſo aut roſtro conchae purpurae, quod blatta a βλαπτω, *percutio* appellabatur, originem duxit. Cap. XVIII.

(V) Hunc Lampridii locum adducit auctor, ut probet blattam ſive purpuram, & coccum aut cocciniliam ſimiles colores fuiſſe. Nos autem Cap. XVIII. cum aliis Scriptorum locis adduximus, ut probaremus blattam ipſam, ſive purpuram, & coccum colores longe diſſimiles fuiſſe. Id rectius eſt. Lampridius enim eodem loco blattam & coccum uti duos diſtinctos colores nominat. Diſtincti igitur colores iuxta ipſum Lampridium eſſe debuerunt.

(VI) Purpura ex nullis vermibus, ſed ex purpuris marinis educebatur, & locus Iſaiae non de purpuris, ſed de coccineo, & aliis coloribus, qui vermiculis pararentur, unam habet mentionem. Sed hic graviſſimus & vulgatiſſimus error latet. Primis ſuperioris noſtri libelli capitibus demonſtratum a nobis eſt, colores purpureos fuiſſe novem ſimplices, & quinque mixtos, inter quos rubicundus ob nullam ſuam firmitatem omnino inuſitatus eſſet. Vulgus autem noſtrum non ſecus ac nuperi

Sextum vero poſt ſeculum nulla aut parva reperitur mentio purpurae in Aſia, Africa, & Europa, ubi ita quondam redundaret, ut ipſe Trimalcionis ſervus promus condus die natali ſuo a cliente purpura donaretur. (Arbiter in Cœna) *veſtimenta mea cubitoria perdidit (ſervus), quae mihi natali meo cliens quidam donaverat, Tyria ſine dubio, ſed iam ſemel lota*. Sed cur in tot locis fere eodem tempore opificium purpurarum obſoleverit, non ita facile eſt iudicare. Suſpicatur Pancirolus (de rebus deperditis tit. 1.) bella, quae per orientis regiones latius & ſaevius percrebuerant, amiſſae purpurae cauſſam fuiſſe. Sed multis enimvero de cauſſis minus verum hoc iudicium exiſtimabitur. Quamvis enim non eamus inficias, bellicos tumultus plurima caligine artes offudiſſe, oblitterare tamen funditus earum artium memoriam potuiſſe non eſt credendum, multoque minus Porphyropeiam noſtram oblitterare potuiſſe, opificium nimirum ubique gentium vulgatum, illuſtre, lucelli plenum, & quod magis eſt, uſui principum virorum fere ſemper addictum, qui quo iure quaque iniuria ſuperbiae & luxui indultum ſemper maxime velint. Ab altioribus itaque principiis purpurarum prius deſpectum, exinde oblitterationem & iacturam ortam eſſe iudico. (VII) Nimirum repertos deinde novos modos fucandae purpurae, quibus tum floridior eſſet, tum minori labore & ſumptu pararetur, cauſſas fuiſſe, quibus marina antiqua purpurea, utpote triſtior, & maiori labore & ſumtu paranda, libentiſſimae oblivioni mandaretur. (VIII) Coccus inquam ſeculis Chriſtianae Epochae anterioribus rarus profe-

---

peri Scriptores omnes purpuream materiem male docti exiſtimant, antiquam purpuram uno tantum & eo rubicundo colore fuiſſe, & hinc vocabulis purpurae & rubicundi coloris tanquam ſynonymis utuntur. Cum ait hic itaque auctor noſter, optimam purpuram quondam ex cocco & aliis vermibus conſtitutam, cum ceteris nuperis Scriptoribus conſtans ſibi vult, optimum rubicundum colorem ex cocco & aliis vermibus excitatum, quod nos non negamus. Cum ait quoque ipſe auctor in primo titulo, ſe etiam de nupera purpura tractaturum, de medicaminibus eum tractaturum intelligamus, quibus rubicundus color hiſce nuperis temporibus parari conſuevit, prout revera poſt hanc de antiqua purpura tractationem huiuſce rubicundi coloris efficiendi modos plures enumerat, quem ille purpureum putat & vocat, & ſi vegetabilibus non conchis ſit paratus, & ſi nunquam e conchis huiuſmodi color fuerit eductus. Hanc autem minus veram purpurae & coloris rubicundi ſynonymiam etiam in tota hac de antiqua purpura tractatione uſque ad ſatietatem crepabit auctor, & nos etiam uſque ad ſatietatem caſtigabimus. Maximus enim hic error eſt, & neſcio an cauſſa ceterorum omnium errorum, qui plurimi hanc purpuream materiem hactenus obtinuere, & ideo nunquam ſatis caſtigandus.

(VII) Si purpurae opificium uſque ad ſeculum XV. percrebuit, uti diximus, fruſtra Pancirolus, fruſtra auctor noſter, & extinctionem purpurae, & extinctionis cauſſam ante ipſum ſeculum XV. requirere videntur.

(VIII) Nullus alius modus fucandae purpurae, quam conchis purpuris marinis fuit, nec eſſe potuit. Plurimi vero modi fuerunt & ſunt rubicundi coloris fucandi, quem nomine purpurae hic intelligit auctor ex falſa illa purpurae & coloris rubicundi ſynonymia, quam diximus. Colores vero purpurei, quorum nullus rubicundus erat, coloribus omnibus, qui herbis conficerentur, immo & ipſi rubicundo & coccineo multis partibus antecelluere. Immortalem, verſicolorem, ſcintillantem, mollem fucum, quo purpurae ornabantur, ceteri omnes colores ſive cocco, ſive herbis inducti deſiderabant. Capit. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. Iam vero purpurae antiquae maximus fumus, minorque fumus coccinei & ceterorum colorum, illius praeſtantiam, horum vilitatem vel maxime demonſtrat.

proſecto Romae, notus tamen, & non minus quam marina purpura probatus, (ix) immo Plinii tempore omnino vulgatus, Fucus quoque marinus, quem Itali *Oricellum* aut *Rocellam* vocant, unde antiqui ipſi homines optimam purpuram educere conſueviſſent, pleraeque etiam aliae herbae, quae antiquitus ad purpuram educendam ſatis commode adhibebantur, (x) efficere proſecto potuerunt, ut purpurarii opificii vix ac ne vix quidem veſtigium ullum ſupereſſet. (xi) Plinii aetate proſecto Galli fere nullam Graecorum & Latinorum purpuram uſurpantes, unis herbis rubicundam & violaceam purpuram, aut, ut loquitur Plinius, Tyrium & Conchylium, omneſque alios colores inficicbant. *Tranſalpina Gallia herbis Tyrium atque Conchylium tingit, omneſque alios colores, nec quaerit in profundo murices.* (xii) Copiam vero Fuci marini marinis purpuris exitium paraſſe ipſe Cl. Vir Fabius Columna (lib. de Purpura) ſuſpicatur. *Purpurarum uſus obſolevit ob maximam fuci copiam, quo infectores inficiunt.* (xiii) Si denique addiderimus primis Epochae Chriſtianae ſeculis Indiae commercium expeditiorem factum, illius Indiae inquam, quae maxime ferax telarum & colorum, ceterarumque rerum, quae ad luxum pertinent, perhibetur, (xiv) nemo mirabitur, ſi poſt inventas tot novas fucandi artes tinctura marinae purpurae obſoleverit, quae parva ſatis copia ex marinis conchis hauriretur, plurimum afferret ſumtum, & minus amoena,

(ix) Coccus ſecundum poſt purpuram locum obtinebat. Cap. L.

(x) Fucus marinus, aliaeque herbae ad educendum colorem rubicundum adhibebantur, non ad educendam purpuram, quae unis marinis conchis, & fere quolibet alio colore, quam rubicundo, excudebatur. Sed hic quoque auctor purpuram cum colore rubicundo confundit, & miſcet.

(xi) Sed ſi coccus, fucus, aliaeque herbae ipſi purpurae coaevae, & vulgo cum illa uſurpatae, eidem purpurae tamen ante ſeculum VI. officere non potuerunt, cur eidem poſt VI. ſeculum tantum officere debuerunt? Fruſtra inquam cauſa extinctionis purpurae ante VI. ſeculum requiritur, ſi purpura ipſa, forte cum ipſo fuco & cocco, aut etiam ſine fuco & cocco eodem, uſque ad ſeculum XV. perduravit, & eo tantum ſeculo XV. cum Byzantina officina, quae una vitio Graecorum Imperatorum ſuperfuerat, a Turcis eſt extincta. Cap. LX.

(xii) Neceſſitas ab antiquis Gallis expreſſerat, ut unis herbis, non conchis colores omnes effingerent, cum conchae purpurae in Gallico Oceano non viverent, aut tantum purpuram nigram & lividam ſubminiſtrarent. Cap. XX. & LXII. Tyrius autem & Conchylium, quos purpureos colores herbis Galli ſimulabant, rubicundus & violaceus non erant, uti errans arbitratur auctor, ſed teſte ipſo Plinio Tyrius erat rubidus, nimirum ruber atrore multo mixtus. Cap. V. Conchylium vero erat caeruleus ſatur, caeruleus, dilutus, & flavus, qui purpurei tres colores peculiari nomine Conchylia, aut conchyliati appellabantur. Cap. XII.

(xiii) Iterum dicimus marinum fucum marinis purpuris nullum exitium ante ſeculum VI. parare potuiſſe, qui cum ipſis purpuris ad XV. uſque ſeculum viguerit. Fabius Columna magnus vir ille quidem, ſed purpurei opificii imprudens, ut ceteri omnes nuperi Scriptores, in ſuo libello de purpura ipſe quoque cum illis pueraſcere omnino videtur.

(xiv) Ut praetereamus Indiae commercium, antequam Caput bonae ſpei detegeretur, nedum ante ſeculum VI., minimum ſemper fuiſſe, ut hiſtoriae omnes patefaciunt, quis vidit hiſce noſtris iiſdem temporibus, quibus Europaei mercatores in Indiam ſaepe commeant, & Indicas merces in Europam important, Indicas tincturas Europaeis tincturis unquam offeciſſe? Quomodo igitur ſeculis ſexto anterioribus, quibus minimum cum Indis commercium exercebatur, Indicae antiquae tincturae Europaeis purpuris officere potuiſſent? Sed Turcica inquam arma Europaeis purpuris vitio Graecorum Imperatorum iam languentibus, non Indicae tincturae exitium ſtatuerunt, uti pluries affirmavimus.

quam purpura fuci aut cocci videretur. (xv) Immo ſi fides multis ſcriptoribus habenda ſit, ſola diuturnitate marina purpura ceteris tincturis antecellebat, (xvi) etſi haec quoque illius proprietas minus vera exiſtimari poſſit, ſi animadverterimus, promum condum illum, de quo diximus, ſignificaturum convivis domini ſui, ſe plurimum precibus eorum tribuiſſe, quod culpam ſervo, qui veſtem ſurripuerat, condonaſſet, idemtidem eorum auribus obſtrepuiſſe, veſtem Tyriam eſſe & ſemel lotam, ac ſi diceret veſtem fere novam, & parum colore ob loturas labefactatam: *Tyria ſine dubio, & ſemel lota*. (xvii) Edocemur etiam a Plinio (lib. IX. cap. XXXVIII.) ita maioris purpuram, quae ex cocco educeretur, quam maritimam apud Romanos habitam, (xviii) ut maritimam ipſam purpuram condentes coccineam purpuram pertingere & aemulari ſatagerent, quod haec amoeniorem colorem, quam illa, oſtenderet: *nimiaeque eius nigritiae dat auſteritatem illam, nitoremque, qui quaeritur, cocci*. (xix) Hinc coccineam purpuram loco maximi ornamenti Caeſares usurpabant, eiuſdemque coccineae veſtis uſum carioribus tantum Miniſtris permittebant. Cum Albino Commodus Imperator (Capitolinus in Albino) aliquod inſigne dignitatis tribuere couſtituiſſet, veniam dedit, ut cocci-

(xv) Quod infinita purpurarum vis per univerſas Mediterranei maris oras tingeretur, ex toto noſtro libello ſatis patet: Quod amoenior marina purpura, quam purpura, aut, ut rectius loquamur, quam rubicundus color cocci & fuci, citatis Cap. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. eſt demonſtratum. Quod vero maximum eius pretium eſſet, id ſummae nobilitatis, qua marina purpura gaudebat, vel maximum indicium eſt.

(xvi) Non ſola diuturnitate, aut potius immortalitate, ſed & verſicolori mutatione, & ſcintillatione, & mollitie, quatuor eximiis dotibus, immenſum ſuperabat marina purpura colorem fuci & cocci licet rubicundum, omneſque alios herbaceos colores, & nuperos & antiquos, utpote qui neque molles, neque ſcintillantes, neque verſicolores, neque immortales eſſent, ut iiſdem Capitibus ſupra citatis eſt demonſtratum.

(xvii) Contra marinae purpurae immortalitatem adductum promi condi argumentum nihili eſt. Prius enim veſtes, quam tenaciſſimi colores purpurei dilabi conſuevere. Cap. XXIX. Hinc attritae purpureae veſtes prae nimio uſu, incolumi colore ipſo, eſſe potuerunt. Ait itaque promus condus ſurreptam veſtem nondum uſu deteriorem factam, utpote quae ſemel lota eſſet, etſi colore neutiquam dilapſam.

(xviii) Maioris purpuram, nimirum rubicundum colorem, qui ex cocco educeretur, quam maritimam, apud Romanos fuiſſe, ſuperiore Nota VIII. & IX. negavimus.

(xix) Nuſquam magis a nuperis Scriptoribus, quam in veterum Scriptorum, & praeſertim Plinii interpretatione peccatur. Noſtrae ſequentes Notae rem pandent. En prima peſſima Pliniani loci interpretatio. Nam purpurae violaceae aut amethyſtinae cudendae rationem traditurus citato loco Plinius enarrat, lanam prius in cortinam excocto purpurarum ſucco plenam immergi conſueviſſe, qui purpurarum excoctus ſuccus rubidum aut nigricantem colorem reddebat, deinde lanam ipſam in cortinam excocto ſucco buccinorum plenam iterum conſueviſſe immergi, qui buccinorum excoctus ſuccus colorem ſimilem nitori aut colori cocci, nimirum rubicundum, promebat, ut ex illa nigricantis & rubicundi mixtura purpureus color amethyſtinus aut violaceus prodiret. Non igitur de colore coccineo, qui cocco conficeretur, ſed de ſucco buccinorum, qui colori, qui cocco conficeretur, ſimilis eſſet, agit Plinius, & proinde nullam purpurae cum colore coccineo cocci, de quo non loquitur, aemulationem hoc loco inducere poteſt, ut concedamus etiam, quod non concedendum, nimirum aemulationem purpurae nunquam rubicundae cum rubicundo cocco ullo unquam tempore fieri potuiſſe. Sed coloris purpurei cum diſtincto rubicundo confuſio, quam ſaepe diximus, huic exoticae loci Pliniani interpretationi cauſſam omnem dediſſe videtur. Videatur Cap. XXV.

coccineo pallio etiam coram eo, & etiam purpura ſine auro uteretur. *Sane ut tibi inſigne aliquod imperialis maieſtatis accedat, habebis utendi coccinei pallii facultatem me praeſente, & ad me, cum mecum fueris, habiturus & purpuram, ſed ſine auro*. (xx) Petronius etiam (in Coena) cuidam maleſano coccineam veſtem induxerat, cum lectica eſſet ferendus. *Hinc involutus coccina gauſapa lecticae impoſitus*. Et pallium quoque coccineum, cum ad coenam diſcumberet. *Pallio enim coccineo adraſum excluſerat caput*. Immo etiam credere fas ſit, plurimos alios nobiliſſimos colores ab antiquis hominibus excuſos, qui colori marinae purpurae longe antecellerent. Narrat Vopiſcus (in Vita Aureliani) purpureas veſtes Aureliani matronarumque Romanarum cum pallio purpureo comparatas, quod erat in templo Iovis Capitolini, muneri miſſum a Rege Perſarum, inenarrabili foeditate oblitas apparuiſſe. *Meminiſtis enim fuiſſe in templo I.O. M.Capitolini Pallium breve purpureum laneſtre, ad quod cum matronae atque ipſe Aurelianus iungerent purpuras ſuas, cineris ſpecie decolorari viderentur ceterae divini comparatione fulgoris. Hoc munus Rex Perſarum ab Indis interioribus ſumptum Aureliano dediſſe perhibetur*. Ex quo exiſtimari poſſit, quamvis marina purpura maximo pretio a viris principibus haberetur, non adeo tamen felici colore donatam, quin alius color felicior reperiri poſſet, qui erat huius Indicae purpurae color, adiiciente Vopiſco, Aurelianum, Probum, Diocletianum uſque in Perſidem diligentiſſimos infectores miſiſſe, qui tamen huiuſmodi purpuram reperire nequiverint, & tantum dici audiverint, ex Indica Sandyce ſimiles purpuras procudi ſolere. *Nam poſtea diligentiſſime & Aurelianus & Probus, & proxime Diocletianus miſſis diligentiſſimis confectoribus requiſiverunt tale genus purpurae, nec tamen invenire potuerunt. Dicitur enim Sandyx Indica talem purpuram facere, ſi curetur*. (xxi) Hinc facile

---

(xx) Coccineus color rubicundus, quam coccineam purpuram confuſis vocabulis de more vocat auctor, nunquam fuit Caeſarum maximum ornamentum. Apparet Cap. XLII. Imperatorum pallium aut chlamydem totam coccineam quibuſdam taeniis purpureis & aureis a ſummo ad imum ductis fuiſſe inſignem. Commodum vero Albino chlamydem tribuiſſe coccineam taeniis tantum purpureis, non vero taeniis aureis diſtinctam, quae aureae taeniae uni tantum Imperatori iuxta Romanum morem ſervarentur. Cap. XXXV. Non tamen hinc eſt exiſtimandum coccineum colorem pluris, quam purpureos, habitum fuiſſe, quod coccineo ipſo Imperatores uterentur. Praeterquam quod enim ſatis demonſtratum eſt Cap. L. coccineum colorem minoris, quam purpureos, habitum, duo etiam argumenta id evincunt. Purpureus tantum, non coccineus, aut alii herbacei colores, fuit a Romanis Imperatoribus vetitus, ſibique ſolis ſervatus. Cap. LVI. LVII. Deinde clavi aut taeniae, quas nos Itali *galloni o guernizioni* vocamus, pretioſiores eſſe conſueverunt, quam veſtes ipſae.. Enimvero Imperatorum coccinea erat chlamys, purpureae erant taeniae. Pretioſior igitur purpureus color. Praeterimus purpurae tantum, non aliorum colorum pretium cum pretio margaritarum certaſſe, quae pretium omnium rerum apud Romanos ſuperarent. Cap. XLVIII. Praeterimus quatuor incomparabiles purpurae dotes, ceteraſque laudes, quibus prae ceteris coloribus ab antiquis ornabatur, quaeque per totum libellum noſtrum relatae proſtant.

(xxi) Pallium Iovis Capitolini Aureliano a Rege Perſarum muneri miſſum, de quo Cap. LV. retulimus, certe purpureum erat, ut conceptis verbis nuncupat Vopiſcus, nimirum conchis, non vegetabilibus coloratum. Quoad verba vero ab eo ſubiecta, *dicitur enim Sandyx Indica talem purpuram facere, ſi curetur*, obſervandum eſt, hoc verbum *dicitur* incertam & vulgarem opinionem, non vero certam & conſtantem ſcientiam ſignificare, praeſertim

facile intelligi poteſt vividiorem purpurae ſpeciem, quam marina fuerit, illis temporibus fuiſſe celebrem, illique purpuram marinam, quod accidere conſuevit, paullatim primas conceſſiſſe, & in deſuetudinem abiiſſe. Hinc quemadmodum marinae conchae cocco, fuco, aliiſque herbis honorem purpurae in uſum principum virorum conficiendae reliquerunt, ita Coccus, Fucus, aliaeque herbae antiquorum temporum locum ceſſiſſe nuperae Cocciniliae & nupero Indaco videntur, quibus nunc temporis & violacea & rubicunda etiam nobilior ſplendidiorque purpura conficitur, cui profecto nec coloris nobilitate, nec diuturnitate, nec tenuitate ſumptus antiqua purpura ullo modo comparari poſſit. In Europa igitur haec una purpura Coccinilia aut Indaco confecta apud omnes celebratur, omneſque pulcher purpureus color delectat. Immo delectat etiam in India color purpureus, qui Lacca conficitur, quo & lanae, & ſerica, & goſſypia, & coria, quae Damaſcena dicuntur, nobiliſſimo & fere indelebili colore tinguntur. Haec purpura, quae orientalis vocari poſſit, etiam lota ſplendorem non amittit, nec maculas contrahit, ita ut exiſtimare poſſimus Lacca tinctum fuiſſe pallium illud, quod Perſarum Rex Iovi Capitolino muneri miſerat, vel Sanguine Draconis, qui ipſe Cinnabaris Dioſcoridis a pleriſque putatur. Augebitur haec ſuſpicio, ſi animadverterimus Pallium illud ex Indica Sandyce coloratum dici a Vopiſco, quae Indica Sandyx idem ipſe eſt, qui vocatur Sanguis Draconis, uti meliores antiquae Medicinae magiſtri interpretantur, cum etiam hodie praeſertim in Peguviano & Bengalenſi regno ex ipſo Sanguine Draconis color purpureus conficiatur. In Italia etiam colorem rubicundum Lacca quondam productum fuiſſe, quae virgarum ſpecie importaretur, docemur a Ruellio, (in Dioſcor. Cap. de Cancamo) a Mattiolio, (in Dioſcor. Cap. de Cancamo) & a Roſſettio (Dell'arte dei Tintori tom. 1. 4. Venetiis 1548.) eandem artem Venetiis quoque ſuis temporibus uſitatam teſtante. (XXII)

Quam-

ſertim cum fateatur Vopiſcus miſſos in Perſas de ea re infectores nihil certi referre potuiſſe. Quin certum eſt, ex Indica Sandyce pallii illius colorem non fuiſſe eductum. Paratur enim adhuc & apud nos, & apud Indos & Perſas rubicundus quidam color ex Indica Sandyce, (quae Sanguis Draconis nunc appellatur, & quae nihil aliud eſt, quam quidam rubicundus ſuccus e fructibus palmarum expreſſus) & tamen rubicundus ille color hac Indica Sandyce, aut Sanguine Draconis inductus multis partibus eſt ignobilior, quam rubicundus, qui cocco, aut coccinilia educitur, omnibus nuperis ſcriptoribus teſtantibus, & ipſo noſtro auctore pag. CCV. CCLIV. eiuſdem huius pharmaceutici ſui libelli. Si itaque rubicundus Sandycis aut Sanguinis Draconis color colori ipſi rubicundo cocci aut cocciniliae primas concedit, quomodo antiquas purpuras, quibus ipſum cocci aut cocciniliae colorem primas conceſſiſſe ſuperiore Nota VIII., IX. XX. & Cap. L. probavimus, quomodo denique ipſius Aureliani & matronarum Romanarum purpuras, quas ceteris omnibus Romani Imperii purpuris excelſiores eſſe oportuit, ſuperare potuiſſet? Purpureum igitur erat Pallium illud, & quidem rubicunda illa fulgentiſſima purpura coloratum, quae tantum in Perſide & India frequens perraro in Imperii Romani regiones transferebatur. Cap. XX. LV.

(XXII) Contraria omnia ex iam dictis patent, quae non iteranda. Dicemus tantum ex Coccinilia, ex Indaco, ex Lacca, ex Sandyce, aut Sanguine Draconis non purpuram, quo nomine hic quoque paſſim abutitur auctor, ſed colores rubicundum & violaceum nunc temporis excudi, eoſque utpote vegetabilibus eductos, eſſe inertes & fixos, non vero verſicolores, non ſcintillantes, non immortales, non molles, & proinde longe minoris, quam admirabiles violaceos & rubidos colores, qui conchis quondam conficerentur, aeſtimandos. Cap. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX.

Quamvis tamen confirmaverimus marinam purpuram a communi commercio Theodorici Regis temporibus ereptam, non ideo tamen exiſtimandum, poſterioribus temporibus ubivis gentium deſueviſſe. Robertus Scouthuvelius (Hiſtor. Angliae Eccleſiaſt. l. I. c. I.) refert celebrem fuiſſe matrem ſuam, quae ſudariola tingeret indelebili etiam poſt loturas quodam fuco, adiicitque Bedae temporibus, nimirum nono ſeculo in Britannia, quo magis quam alio pleraeque omnes artes ſe receperant, artem quoque marinae purpurae magno in pretio habitam fuiſſe. Quin & Bedae temporibus ars purpurae tingendae in Anglia ſummopere in pretio habita eſt. Sunt Cochleae ſatis ſuperque abundantes, quibus tinctura coccinei coloris conficitur, cuius rubor pulcherrimus nullo unquam ſolis ardore, nulla valet pluviarum iniuria palleſcere, ſed quo vetuſtior, eo ſolet eſſe venuſtior. (XXIII) Hoc ſtimulum dediſſe potuit Britanno Gulielmo Cole, (in Act. Lipſ.) ut praeterito ſeculo marinam purpuram reſtituere curaret, quemadmodum deinceps refetur. Affirmat etiam Plumerius (P. Plumier) quoſdam nunc populos in America conchas uſurpare ad veſtes pulcherrimo violaceo colore tingendas. (XXIV) Colorem purpureum apud omnes nationes maximo ſemper in pretio habitum, ceteriſque coloribus omnibus antepoſitum, ex iis, quae diximus, ſatis conſtat. (XXV) A temporibus uſque Heroicis reperitur purpura a principibus & regiis viris uſurpata. (XXVI) Romuli temporibus plurimi Romae habebatur ſimplex Tyria rubicundo colore, (XXVII) & ſecundum locum obtinebat Laconica & Chartaginienſis phoeni-

(XXIII) Haec purpura in Britannia Bedae temporibus uſitata ſententiam noſtram de marinae purpurae uſu uſque ad ſeculum XV., & Imperii Graeci ruinam confirmare videretur. Nos tamen illud addubitamus, an purpurae marinae opificium unquam in Britanniam ſe receperit, aut ſe recipere potuerit, tum quia temporibus illis una Byzantii purpurea officina vigebat Cap. LIX., tum quia Oceanus nullas conchas purpuras praebet, ſine quibus color purpureus conſiſtere nequit. Cap. LXII. Sed fortaſſe rubicundus aliquis color buccinorum ope, quae in Oceano plurima degunt, tunc in Britannia vigebat: colorem enim tantum rubicundum, licet facile evaneſcentem, buccina emittunt. Cap. XXIV. XXV. LXII. Quin res ita eſt. Ipſe Scouthuvelius auctore ipſo noſtro referente narrat colorem Britannicae illius purpurae fuiſſe coccineo ſimilem, qui coccineus profecto erat rubicundus. Cap. XVI. Addit tamen firmiſſimum colorem fuiſſe, cum contra buccinorum ſuccum coloremque facile evaneſcentem ſupra demonſtraverimus. Sed obſervandum, hunc Britannicum Scriptorem, qui praeterito ſeculo vixerit, videre nequiviſſe Britannicas illas purpuras Bedae temporibus, nimirum ſeptingentis prius annis uſurpatas, & proinde notam firmitatem antiquarum purpurarum pſeudopurpuris illis ex ſuo ingenio effinxiſſe.

(XXIV) Sed omnes ſatis infeliciter, ut mox erit videndum.

(XXV) Quis non affirmet ex hiſce auctoris noſtri verbis eundem Palinodiam canere? Hactenus affirmavit purpuram plurimis aliis coloribus inferiorem fuiſſe. Nunc autem hiſce verbis purpurae primas concedere videtur. Sed ſi verba auctoris *colorem purpureum* in verba *colorem rubicundum* convertantur, dubletas omnis tolletur. Auctor enim ſibi ceteriſque nuperis ſcriptoribus conſtans verbo *purpureus* abutitur ſemper, ut colorem rubicundum ſignificet, quemadmodum monuimus. Tantum dubietatis vocabulorum & idearum confuſio inducere poteſt.

(XXVI) Neſcio quam purpuream hiſtoriam hic auctor exorditur, ſatis quidem exilem, & naevis plenam, quam diligentiorem Cap. LI. & ſequentibus nos attulimus. Nos hic tamen unos naevos emendaturi primo aſſerimus, purpurarum uſum non tantum Heroica tempora, ſed ipſius Moyſis longe antiquiorem aetatem aut adaequaſſe, aut etiam ſuperaſſe. Cap. LI.

(XXVII) Tyria purpura, ſive conchylium ſimplex, ſive dibapha purpura, (quam put-

phoeniceo, ſeu minii colore (xxviii). Seculo vero Reipublicae Romanae poſtremo principatum tenebat violacea purpura, mox Tarentina ex violaceo rubricans. (xxix) Hoc eodem enimvero tempore graſſante luxu, deſpectiſque rebus etſi pulcherrimis, attamen vulgatis, in publicum prodiit dibapha Tyria, quae nimirum bis tincta, & nigriorem colorem oſtenderet. (xxx) Haec omnia a Plinio (lib. IX. cap. XXXIX. hauriuntur. *Purpurae uſum Romae ſemper fuiſſe video... atque omnem veſtem illuminaſſe, & in triumphali auro miſceri conſueviſſe. Nepos Cornelius, qui Divi Auguſti principatu obiit, me, inquit, iuvene violacea purpura vigebat, cuius libra denariis centum venibat, nec multo poſt rubra Tarentina: huic ſucceſſit dibapha Tyria.* (xxxi) Haec erat excelſa illa purpura, quae mille denariis ſive iuliis monetae noſtrae in ſingulas libras vix poterat emi, (xxxii) quam P. Lentulus Spinther anno, quo Cicero conſul fuit, primus inter Romanos mirantibus omnibus eſt indutus. (xxxiii) Nec multum temporis praeteriit, cum ex eadem purpura Tyria iam ubique vulgata, & coenacula, & ſtragula, & taeniae ornabantur, & quaelibet regio imitatura Tyrias purpuras bis eaſdem purpuras tingendi morem ample-

purpurarum diſtinctionem a nobis Cap. XII. explanatam, & mox etiam clarius Notis ſequentibus explanandam, & auctor noſter, & nuperi omnes Scriptores ignorant,) immo & quaelibet alia Romani Imperii purpura nunquam colorem rubicundum exhibuit, ſed alia alios colores, quorum nullus rubicundus fuit. Cap. XIX. Qui deinde enimvero Scriptores affirmare poſſunt, purpuram quamcumque Tyriam Regum Romanorum tempore Romae vulgatam? Urbs ipſa Tyrus, nedum eius purpura, priſcis eiſdem temporibus ignotiſſimum in Italia nomen eſſe debuit. Regum autem Romanorum temporibus Romae purpura tantum Italica uſurpari potuit, immo inter Italicas praecipue Etruſca, unde Romani ipſi Reges eaſdem purpuras inſignia regiae dignitatis tunc temporis primum acceperunt. Cap. LII.

(xxviii) Laconicam etiam & Chartaginienſem purpuram auctor rubicundam affirmat, cum affirmat phoeniceam, nam phoeniceus color & ipſe rubicundus eſt. Cap. XVII. At etiam purpurae Laconicae & Chartaginienſes nullae rubicundo colore, ſed rubido tantum fuerunt. Cap. XX. Demum ipſa Laconia quoque & ipſa Chartago, nedum earum regionum purpurae, Regum Romanorum temporibus ignota nomina Romae eſſe debuerunt.

(xxix) Et Tarentina purpura, & omnes Italicae violaceo colore commendabantur. Cap. XX. Hae omnes autem Italicae purpurae a regifugio ad bellum Tarentinum, quo tempore fere tota Italia ſubiugata eſt, triumphis Italicis Romam invectae, & Romae uſurpatae ſunt. A bello Tarentino ad annum Romae ſeptingenteſimum purpurae etiam omnium exterarum gentium exteris triumphis Romam invectae, & Romae divenditae & vulgatae ſunt. Cap. LIII.

(xxx) Hactenus, nimirum ad annum Urbis ſeptingenteſimum, omnium fere gentium purpuras viderant Romani, non tamen optimas Tyrias Phoenice nondum ſubacta. Itaque anno eodem urbis ſeptingenteſimo Cicerone Conſule Pompeius Phoeniciam Mithridaticae victoriae impetu ſubegit, & ſtatim magna vis Tyriae purpurae, quae omnium optima fuit, Mithridaticis triumphis Romam quoque invecta fuit, & ab omnibus ſtatim uſurpata. Cap. LIII.

(xxxi) Sphalmata purpureae hiſtoriae, quae modo a nobis quinque ſuperioribus Notis caſtigata ſunt, hauſiſſe ſe ait auctor a citato Plinii loco. Sed locus ille Plinii, ut quiſque videt, fere nihil eorum enarrat. Sphalmata igitur illa e penu recentiorum Scriptorum auctor noſter conraſit, prout pleraque alia, quod ſaepe diximus.

(xxxii) Antiquum purpurae Tyriae, purpurarumque omnium pretium diligenter rimati ſumus libelli noſtri Cap. XLVIII., ad quod brevitatis gratia lectores delegamus.

(xxxiii) Septingenteſimo inquam urbis anno Cicerone Conſule Phoenicia ſubacta eſt, & purpura Phoenicia aut Tyria eodem anno P. Lentulus Spinther primus eſt uſus, ut Nota ſuperiore XXX. monuimus.

Digitized by Google

amplexa eſt. Plinius (d. lib. IX. cap. XXXIX. *Dibapha tunc dicebatur, quae bis tincta eſſet, veluti magnifico impendio, qualiter nunc omnes pene commodiores purpurae tinguntur*. (XXXIV) Hinc etiam frequentes Trimalcionis lecti tomento conſtabant cocco ſive purpura tincto. Arbiter (in Coena) *Vides tot culcitas? Nulla non aut conchyliatum, aut coccineum tomentum habet*. (XXXV) Nec minori in dignitate nupera haec noſtra purpura verſatur, ſive violacea, ſive rubicunda, utpote quae inſigne ſit fere omnium Venetae noſtrae Reipublicae Magiſtratuum (XXXVI).

Sed cum purpurae nomine nunc violaceus, nunc rubicundus color, plurimique alii colores intermedii & ex illis compoſiti intelligantur, hinc, ut omnis dubietas tollatur, haec obſervanda duxi. (XXXVII). Licet enim varius purpureae

P color

(XXXIV) Purpurae caeruleae ſaturae, caeruleae dilutae, & flavae, ſpeciatim purpurae conchyliatae, aut conchylia vocabantur, ſemel uno parciori ſucco purpurarum, aqua lotio aut iure temperata, omiſſis omnino buccinis tingebantur, & minori etiam pretio conſtabant. Purpurae violaceae, rubidae, ceteraeque omnes ſive ſimplices ſive mixtae, ſpeciatim purpurae dibaphae vocabantur, ſemel ſucco purpurarum, & ſemel ſucco buccinorum, nimirum bis tingebantur, & longe maiori pretio conſtabant. Hanc ignotiſſimam, ſed apprime neceſſariam colorum purpureorum diſtinctionem Cap. XII. & XXV. demonſtravimus. Cum igitur utraeque purpurae & Tyri, & ubique gentium tingerentur, iſtas dibaphas, ſeu bis tinctas nuncupabant, ut pretioſiores oſtenderent, & ab illis minus pretioſis diſtinguerent. Cap. XLVIII. Nec tamen exiſtimandum, ut ait auctor, anno tantum urbis ſeptingenteſimo artificium bis tingendi purpuras omnes conchyliatis exceptis exemplo a Tyriis ſumpto percrebreſcere incepiſſe. Cum enim eo tantum duplicis tincturae artificio purpurae eaedem omnes exceptis conchyliatis educerentur, prout memorato Capite XXV. eſt edoctum, cumque ſaltim purpuras violaceas Italicas etiam temporibus anno Urbis ſeptingenteſimo anterioribus Romae & in Italia uſurpatas ſciamus, Cap. LII. LIII., hinc illud duplicis tincturae artificium non tantum antiquius, ſed etiam ipſis purpuris omnibus conchyliatis exceptis coaevum fuiſſe non dubitemus. Illud tantum diſcriminis eſſe potuit, quod ſeculis anno urbis ſeptingenteſimo ſuperioribus magis a luxu remotis crebriores purpurae caeruleae & flavae ſemel tinctae, ſeculis vero inferioribus graſſante luxu crebriores purpurae ceterae bis tinctae eſſe potuerunt, quod etiam ipſe Plinii locus ab auctore relatus innuere videtur.

(XXXV) Videatur ſane, quanto rectius antiqui, quam nuperi Scriptores, quod ſaepe diximus, coccineum a purpureo, & purpureum ipſum a conchyliato diſtinguant. Auctor nuncupat tomenta cocco, ſive purpura tincta. Arbiter tomenta diſtincte aut conchyliato aut coccineo tincta.

(XXXVI) Vulgato errore purpurei coloris pro rubicundo admiſſi auctor nuncupat purpuratos Venetos Magiſtratus, qui rubicundo cocci aut cocciniliae colore induuntur. Ita Cap. LX. oſtendimus S. R. E. Cardinales purpureos nuncupatos eodem errore, qui tamen etiam non purpurei aut purpurati, ſed rubicundi & coccinei ſunt. Latini Praeſules, & aliquot Veneti Magiſtratus, ut ait auctor, cum violaceum colorem geſtent, meliori iure purpurei aut purpurati vocari poſſent. Sed ne hi quidem purpurei aut purpurati. Violaceus enim color, quem geſtant, non conchis, ſed vegetabilibus eſt excuſus, nec proinde illis quatuor admirandis dotibus coruſcat, quibus antiqua violacea purpura prae ceteris alio tincturae genere inductis violaceis coloribus efflorescebat. Sed & purpurei novem ſimplices, & quinque mixti colores, & incomparabiles eorum quatuor dotes, & pleraque alia omnia ad eoſdem colores pertinentia, ignotiſſima noſtris Scriptoribus ſunt, ut clarius ſequentibus Notis obſervabimus.

(XXXVII) Exorditur hic auctor purpuriferarum concharum naturalem hiſtoriam. Laus ei danda, quod diligentius eam, quam reliqui nuperi Scriptores, peragat, a quibus proinde nihil mutuatur, ſed omnia e ſua penu promit. Hinc licet ſubobſcu-

color fuerit, quilibet tamen purpureus vocabatur, quod ex eodem flore aut ſanguine concharum educeretur, quae conchae varium iuxta varia maritima vada, quae incolebant, colorem emittebant. (XXXVIII) Purpurae enim Adriatici maris violaceum colorem, Tarentini ſinus violaceum rubricantem Africae phoeniceum, aut minii ſimilem, Tyri igneum nigricantem, Laconiae rubrum, marium ad ſeptentrionem vergentium ſordidum & nigricantem reddebant. (XXXIX) Nec, etſi a vario concharum genere iſte ſuccus hauriretur, tinctura tamen minus erat aut vocabatur purpurea, cum non tantum ex conchis, quae purpurae appellabantur, ſed etiam ex buccinis, & muricibus, & ex aliqua alia conchula hauriri ſoleret. (XL) Nec tempus haſce conchas piſcandi, & florem educendi eſt omittendum, cum pulchriorem & copioſiorem ſuccum ſubminiſtrarent, quae conchae in arenoſis fundis, frigidioribuſque temporibus caperentur, uti Plinius (lib. IX. cap. XXXVII.) declarat, & periculis aliquot a me factis magis etiam clarebit. *Capi eas poſt canis ortum, aut ante vernum tempus, utiliſſimum, quoniam, cum foetificavere, fluxos habent ſuccos. Calculoſae appellantur a calculo maris mire apto conchyliis.* (XLI) Idem ſentit Vitruvius. (lib. VII. cap. VIII.) Quae conchae, ait enim, in ſeptemtrionis plagis capiuntur, atrum colorem reddunt, quae inter ſeptentrionem & occidentem, lividum, quae ad orientale, & occidentale aequinoctium, violaceum, quae denique in meridianis regionibus, colorem rubicundum praeſeferunt. *Itaque quod legitur Ponto & Gallia, quod hae regiones ſunt proximae ad ſeptemtriones, eſt atrum, progredientibus inter ſeptemtrionem & occidentem, lividum, quod autem legitur ad aequinoctialem orientem & occidentem, invenitur violaceo colore, quod vero meridianis excipitur regionibus, rubra procreatur poteſtate.* Confirmare autem ego ſatis duco, purpuriferas maris Adriatici conchas violaceum modo

---

obſcure, incipit tamen cognoſcere plures alios intermedios colores purpureos fuiſſe, qui ceteris nuperis Scriptoribus ignoti ſunt. Errores tamen aliquando & in hac naturali hiſtoria auctori excidunt, quos noſtris Notis emendabimus. Videatur tamen libelli noſtri Cap. XXII., quo eandem purpurarum & buccinorum hiſtoriam diligentius deſcripſimus.

(XXXVIII) Non iuxta varia maritima vada conchae varium colorem reddebant, ſed iuxta varia orbis terrarum climata aut plagas. Hinc maria omnia Italica, nedum unum Adriaticum mare, violaceum colorem, quantumvis varia eorum eſſent vada, reddebant. Sic maria ad meridiem vergentia rubidum, maria ad ſeptentrionem poſita lividum aut nigrum praebebant, nullo variorum vadorum diſcrimine facto, quae varia vada aut fundi in quolibet mari reperiuntur. Cap. XX. Obſervandum tamen tot purpureos colores, quos diximus, non tantum a diverſis climatibus, & plagis ſed etiam a vario artificio aut temperamento tincturae ortum duxiſſe. Varia enim artificia aut temperamenta varios purpureos colores etiam ubivis gentium reddebant. Cap. XXI. XXV.

(XXXIX) Iterum caſtigandae ſententiae. Purpurae Adriatici & Tarentini ſinus, & Mediterranei maris, qua Italiam alluit, violaceum colorem, purpurae Tyriae, Africanae, Laconicae, ceterorumque marium ad meridiem vergentium rubidum aut igneum nigricantem, marium ad ſeptemtriones vergentium lividum & atrum reddebant. Iterum ad Cap. XXI. revocamus lectores.

(XL) Colores purpurei ex purpuris & buccinis tantum, non ex muricibus, aut aliis conchis quibuſcumque hauriebantur. Videſis Cap. XXII., & Notam ſequentem XLV.

(XLI) Non conchae in arenoſis fundis, ut ait auctor, ſed in calculoſis, aut variis prognatae pulchriorem, & copioſiorem ſuccum ſubminiſtrabant, ut ait Plinius ipſe, cuius locum mutilatum hic refert auctor. Ceterum & de hac re, & de toto concharum piſcatu libelli noſtri Cap. XXII. & XXIII. conſulatur.

Digitized by Google

modo dilutiorem, modo auſteriorem colorem praebere, qui ideo Venetus color appellatur. (XLII)

Iam patet igitur omnem purpuram, licet ex varii generis conchis educeretur, eundem tamen colorem conſueviſſe reddere, dum in eodem mari caperetur. Ex Adriatico mari noſtro tria concharum, quas purpuras vocant, genera captantur, & in forum piſcarium uſui plebis deferuntur, cum earum caro delicatioribus viris male ſapiat, & coriacea videatur (XLIII). Haec tria genera forma quidem ſunt ſimilia, ſed non omnia colori praebendo ſunt aeque idonea. Primum genus proboſcidem habet longam, rectam, & duabus aut tribus prominentiis inaequalem, ventrem vero longis & duris aculeis armatum. Haec purpura, quae *clavata* a Bonannio vocatur, (Ricreazione dell' occhio num. 282.) a me definitur. *Purpura Veneta clavata, clavis longioribus, proboſcide longa, recta, & muricata, vulgo Garuſoli*. Haec concha nihil niſi ſubflavum humorem omni tempore reddit. Secundum genus primi multis partibus ſimile eſt, ſed aculeos habet breviores, proboſcidem quoque breviorem, & deorſum flexam. A Bonannio *echinata*, a me vero vocatur: *Purpura Veneta clavata clavis brevioribus, proboſcide praemorſa & convoluta, vulgo Bulli*. Haec concha nihil niſi lacteam & fere viſcoſam ſaniem emittit. Tertium Adriacarum purpurarum genus fere ſecundi omnibus partibus ſimile differt una maiori brevitate aculeorum, qui fere tubercula videantur, & hoc verum eſt purpuriferum genus, quod ad purpuras cudendas adhibebant antiqui, cum copioſum & pulcherrimum violaceum humorem fundant, ſi idoneo anni tempore hae conchae capiantur. *Bulli* etiam hoc purpurarum genus a piſcatoribus vocatur; & a me: *Purpura Veneta clavata, clavis breviſſimis, proboſcide praemorſa & convoluta ſuccum violaceum fundens*. Circa haec duo poſtrema purpurarum genera pericula a me ſunt facta, quae mox enarrabo. (XLIV) Doctus quidam

(XLII) Recta auctoris obſervatio, quae cum obſervationibus antiquorum Scriptorum, qui Italicorum marium conchas violaceum colorem praebere narraverunt, ut ſaepe diximus, mire convenit. Labitur tantum auctor, cum violaceum colorem fuiſſe, quem Venetum vocabant, affirmat. Color autem Venetus antiquorum violaceus non fuit, ſed caeruleus atrore multo mixtus. Cap. III. Ceterum hunc Vitruvii locum rectius interpretati ſumus Cap. XX.

(XLIII) Mirum, auctorem inter viliores cibos conchas purpuras delegare, quae inter delicatiores quondam adnumerarentur. Cap. XXIII. Sed fortaſſe Veneti littoris purpurarum tantum id vitium eſt, non omnium littorum. Purpurae enim etiam, ut plerique omnes piſces & nudi & teſtacei, alii in aliis locis delicatiores. Confirmat hanc rem Caput ipſum XXII., quod citavimus.

(XLIV) Nemo longiorem hanc Notam miretur, qui de ſumma rerum hic agi animadvertat. Tria igitur purpurarum genera in Veneto littore auctor noſter obſervavit. Rectiroſtrum unum, & maxime clavatum, nunquam purpuriferum, curviroſtrum & minus clavatum alterum, nunquam pariter purpuriferum, tertium quoque curviroſtrum, ſed minime clavatum, & ſemper purpuriferum. At id in omnibus littoribus minus verum eſt. Ex purpuris enim primi generis rectiroſtris & maxime clavatis quaedam purpuriferae, nimirum colorato flore inſtructae, & quaedam non purpuriferae, nimirum albenti flore inſtructae obſervatae fuerunt, non minus a nobis in Sabinianenſi & Ariminenſi, quam a Fabio Columna in Neapolitano littore, quemadmodum id poſtremum paullo poſt ipſe auctor teſtabitur. Ex purpuris vero etiam ſecundi & tertii generis curviroſtris, ſive minus, ſive minime clavatis, quaedam colorato, quaedam albenti flore alibi ſunt detectae, ita ut non modo ſingula purpurarum genera in variis littoribus, ſed etiam in quolibet ge-

dam auctor (Ianus Plancus de conchis minus notis pag. XXVIII.) in Arimi-nenſibus littoribus parvum turbinem obſervavit abundanter purpuriferum, a quo vocatus fuit: *Turbo virgatus*, *ſubviridis*, *coſtulis laxioribus*, *Ariminenſis*. Huiuſmodi turbines colorem rubrum auſteriorem & fere nigricantem produnt, cuius coloris erat excelſior purpura antiquorum, ex quo idem doctus auctor ſuſpicatur, Anconitanos quondam ſucco horum turbinum, quem cum ſucco altarum concharum

diverſi

---

genere & littore vailae purpurae varium, nimirum aut coloratum aut albentem ſuccum gerere videantur. Hoc autem purpurarum diſcrimen, quarum aliae albenti, aliae colorato flore gaudeant, nunquam antiquitas memoriae prodidit. Plinius lib. IX. cap. XXXVI., & Ariſtoteles lib. V. Hiſt. anim. Cap. XXII. a nobis relati, qui uni antiqui Scriptores purpurarum earundem genera diſtinguunt, non ratione colorati aut non colorati floris, recti aut curvi roſtri, brevis aut longi clavi, ſed hic tantum magnitudinis aut parvitatis ratione, ille vero una ratione ſoli, aut vadi, aut paſtus tantum diſtinguit & diſcernit, viliſſimumque appellat genus luteñſe putri limo, & algenſe enutritum alga, (quod Venetis purpuris convenit, ubi limus, ubi alga, ubi maritimae paludes,) & contra calculoſum genus calculis enutritum, aut dialutenſe vario ſoli genere paſtum, optimum ad tincturam appellat, (quod Ariminenſi & Anconitano littori convenit). Quaecum Ita ſint, putabimus igitur, antiquas purpuras omnes colorato flore fuiſſe, noſtrates vero vario aut colorato aut albenti flore, tanquam degeneres & vitioſiores ſactas? Nequaquam: nam aeternas & immutabiles naturalium corporum & animalium proprietates eſſe, & tota naturalis Hiſtoria, & tota Phyſica docet, ita ut, quemadmodum noſtrates purpurae vario aut colorato aut albenti flore praeditae cernuntur, ita quoque antiquas purpuras vario aut colorato aut albenti flore praeditas fuiſſe omnino ſit iudicandum. Statuendum igitur potius, antiquos homines utraſque purpuras & albenti & colorato flore donatas ad tincturam adhibuiſſe. Plurima enim huiuſce rei ſunt argumenta. Primo ſilentium antiquorum omnium Scriptorum, quos Cap. XXII. retulimus, qui omnes licet minutiora antiquae Porphyropeiae praecepta prodiderint, nullam tamen huiuſce aut colorati aut non colorati ſucci mentionem faciunt, quique tantam rem, tantum diſcrimen ſignificare omnino debuiſſent, ſi coloratus purpurarum tantum flos tincturae aptus, albens vero tincturae ineptus omnino fuiſſet iudicatus. Plinius ipſe & Ariſtoteles d. Cap. XXII. relati uti tincturae aptam deſcribunt, & nummus ipſe Genris Furiae prima libelli noſtri fronte proſtans clariſſime exhibet, rectiroſtram & maxime clavatam purpuram, (cum conchae in duobus reliquis Tyriis nummis proſtantes potius clare buccina videantur,) nimirum genus illud idem rectiroſtrum & maxime clavatum, quod nunquam purpuriferum, aut colorato flore inſtructum in Veneto littore deprehendit auctor. Audivimus Cap. XXIV. priſcos omnes Scriptores, maximeque Plinium narrantem, purpurarum & buccinorum florem detractum, ſale conditum, igni decem dierum excoctum, primo in viridem, inde quoad buccina in rubicundum, quoad purpuras vero in rubidum aut nigricantem colorem converti omnino conſueviſſe. Haec autem mutatio, aut converſio, aut metamorphoſis in viridem prius, inde in rubidum, aut rubicundum aut nigrantem fieri omnino non potuiſſet, niſi flores illi albi ante fervorem fuiſſent. Etenim ſi flores illi rubidi aut rubicundi ante fervorem fuiſſent, quid opus erat maceratione, quae flores iam rubidos & rubicundos in virides prius, inde in rubidos aut rubicundos iterum converteret, aut etiam quomodo ea ipſa maceratio flores ab initio rubidos & rubicundos in virides prius, & rurſum in rubidos aut rubicundos convertere potuiſſet? Docuimus quoque Cap. LXII. & mox etiam ab ipſo auctore noſtro, & ſequentibus Notis cognoſcemus, albentem purpurarum & buccinorum noſtratium florem natura ita eſſe comparatum, ut ſola tenui ſolis & aeris maceratione aut corruptione, in viridem primum, inde in rubidum aut nigrantem quoad purpuras, in rubicundum quoad buc-

cina

Digitized by Google

diverſi generis miſcerent, purpuras ſuas abſolviſſe, quae Sidoniis & Punicis non concederent, ſi Silio Italico fides habeatur.

Nec Sidone vilior Ancon,
Murice nec Lybico.

Hunc turbinulum ego quoque in Venetis hiſce littoribus ſublegi, ſed tantum tenui & albo, nullo aurem colorato fucco manantem deprehendi. (XLV)

Vivit etiam in Adriatico mari buccinum quoddam purpuriferum, quod in Neapolitanis littoribus reperit Fabius Columna (Libro de purpura), quodque ipſe Concham ianthinam appellavit. Corticem hoc buccinum tribus orbibus conſtantem habet, centrumque circa ambitum valde prolatum. Hoc animal, ſi in marinam aquam coniiciatur, ſtatim prodit, adamuſſim virilem penem rubenti glande, cetero caeruleo corpore, exhibens. Si nemo offendat, effundit violaceum ſuum florem magna copia, & acu in collo ſauciatus guttas tres aut quatuor eiuſdem colorati ſucci elicit, quo chartae & alba lintea violaceo colore infici poſſunt, qui etiam poſt loturas difficile evaneſcat. (XLVI)

Bucci-

cina mirantibus omnibus ſemper converti conſpiciatur. Quod certius argumentum, antiquos homines, ipſos purpurarum & buccinorum albentes flores ad tincturam adhibuiſſe? Si enim nunc temporis iidem buccinorum & purpurarum albentes flores oculis noſtris teſtibus in viridem prius, inde in rubidum aut rubicundum ſola tenui aeris et ſolis maceratione converti ſtatim videntur, quomodo non exiſtimandum, eoſdem albentes antiquarum purpurarum & buccinorum flores in viridem prius, inde in rubidum aut rubicundum violenta & diuturna ſalis & ignis maceratione converti non debuiſſe, aut omnino converſos non fuiſſe? Teſtantur inquam antiqui Scriptores purpurarum & buccinorum flores violenta & diutina ſalis & ignis maceratione viridem primo, deinde aut rubidum aut rubicundum colorem induere conſueviſſe. Teſtantur nuperi Scriptores omnes, eoſdem purpurarum & buccinorum flores ſola tenui & celeri aeris & ſolis maceratione eundem viridem prius, inde eundem aut rubidum aut rubicundum colorem ſolere induere. Si eadem metamorphoſis antiquis temporibus habebatur, ſi eadem metamorphoſis noſtris temporibus habetur, quid ultra dubitandum? Obſervavimus Cap. LXII. LXIII. ſalituram & cocturam ab antiquis adhibitam ad aeternitatem coloribus purpureis tribuendam. Obſervamus nunc, eandem ſalituram & cocturam adhibitam, ut haec metamorphoſis primum haberetur, inde ut aeterna evaderet.

(XLV) Hic igitur turbo, qui colorato flore in Ariminenſi littore Iano Planco, albenti flore in Veneto littore auctori noſtro apparuit. Adeo verum eſt, buccinorum & purpurarum flores vario, nimirum aut albo aut colorato fucco reperiri, cum id etiam in turbinum generibus uſuvenire audiamus. Ceterum fallitur Ariminenſis auctor, cum ait antiquos Anconitanos homines ſuas nobiles purpuras hiſce turbinibus infeciſſe. Et Anconitani enim, & ceteri omnes antiqui populi unis purpuris, ſine quibus nulli colores purpurei habebantur, aut ad ſummum purpuris & buccinis ſimul iunctis ad purpuream tincturam educendam utebantur, reiectis omnino turbinibus, aliiſque conchis omnibus, eo quod fortaſſe eorum flores etiam poſt cocturam facile evaneſcentes, & ad tincturam inutiles comperiſſent. Cap. LXII. Niſi dicere velimus, turbines etiam ab minus in hac re accuratis antiquis hominibus, cum utrique turbinati ſint generis, in buccinorum claſſem fuiſſe legatos.

(XLVI) Recte auctor noſter a purpurarum ad buccinorum deſcriptionem tranſit. Ecce primum buccinorum genus colorato flore cumulatum in Adriatico mari auctor noſter, in Neapolitano Fabius Columna ſe reperiſſe affirmant. Ceterum & hoc & alia buccinorum genera, ut de purpuris diximus, vario, nimirum aut albenti, aut colorato flore inſtructa videntur, ut mox pluties auctor ipſe referre non dubitabit.

Buccinum quoque purpuriferum, ſed alius generis, in Britannicis littoribus elapſo ſeculo obſervatum fuit, & ab obſervatore vocatum (Cole ex Opuſc. Erud. Lipſ. tom. I. pag. CCCCXLVII.) *Purpura littoralis, ſive Tenienſis, parva, turbinata*. (XLVII) Haec concha in illiſce littoribus abundat, & omni aetate florem ſuum effundit. Vario colore eſt, ſubrubro, flavo, nigricante, flavorubente, interdum interlito lineis albis & fuſcis, parallelis, aut alternis. Magnitudine eſt regiae nucis, multos habet orbes, ventrem grandiuſculum, os teres, labia aliquantulum converſa, leviter inciſa, ſinum in labio ſiniſtro in longitudinem excavatum. Animal interit, ſi aqua dulci mergatur, ſed ſi in marina, vivit gliſcitque longo tempore, & aliquando medius fere extans e concha, operculum in capite fixum gerens, quaſi aerem capturus e ſumma aqua emergit. Hinc exiſtimat auctor, hoc buccinum amphibii generis eſſe, cum etiam extra aquam diu vivere poſſit. Etſi vero haec proprietas omnibus teſtaceis piſcibus communis ſit, hi tamen teſtacei piſces amphibia haberi nec poſſunt, nec ſolent, cum alias pleraſque proprietates genus hoc amphibiorum poſtulet. Si ſucco, qui pinnula elicitur ex candenti vena, quam huius buccini animal in collo habet, lintea & ſerica tingantur, primum color ſubviridis ſe prodit, qui ſoli oſtentus paucis horae minutis fit valde viridis, hinc glaucus, inde violaceus, poſtea rubricans, & demum poſt duas ſolis horas in rubicundum vividum & ſplendentem tranſit, qui etiam quadragies lotus perſeverat. (XLVIII)

Sed ut ad rem redeamus, cum unam tantum in hoc noſtro vicino mari purpuriferam concham obſervaverimus, nimirum purpuram illam tuberculis magis, quam clavis ornatam, quae Bulli vocatur, hinc ea, qua poterimus, diligentia de hac purpura erit tractandum (XLIX). Cum itaque e piſcatu oſtrearum piſcatores redeunt, inde purpuras ſimul captas uti guſtu ſequiores in uſum plebis ſeponunt. Purpurae iſtius generis ſive parvae ſive magnae abunde dant florem, maiores autem pondere tres uncias non excedunt, ſi animal ipſum cum cortice appendas. Corticem habent rugoſum exteriorem, fuſci aut cinericei coloris, plerumque lutulentum, ventrem longitudini turbinis convenientem, taeniis quibuſdam aſperis compoſitum, quae ab ore ad apicem pertinent, quaeque amplos, ſed breves aculeos

(XLVII) Hic haereo. Hanc Britannicam concham buccinum auctor noſter appellat, ipſe autem Britannus Cole purpuram. Fortaſſe Britannus iſte Scriptor purpureae materiae omnino ignarus, quod omnium nuperorum Scriptorum vitium eſt, quamlibet concham colorato ſucco manantem purpuram vocandam eſſe exiſtimavit, etſi illa concha vere buccinum, non purpura eſſet. Immo buccinum revera fuit, cum illius deſcriptio, quam adducit auctor ab eodem Britanno depromptam, nec memoret clavos, quibus ornari debuiſſet, ſi purpura fuiſſet, & ceteram formam ita tradat, quae magis buccinis quam purpuris convenire videatur. Denique carere omnino purpuris Oceanum, in quo Britannia ſita eſt, Cap. LXII. demonſtravimus.

(XLVIII) En Britannicum iſtud buccinum, cuius flos primum albeſcens, inde ope unius ſolis viridis fiebat, mox glaucus, & violaceus, vivide demum rubicundus, celebrem antiquorum florum metamorphoſim, de qua ſuperiore Nota XLIV. diſſeruimus, confirmat. Monendum tantum lectorem exiſtimamus, ut obſervet florem huius buccini rubicundum colorem, non rubidum, qui purpurarum proprius, praebuiſſe, quod etiam antiquis buccinis ſolemne erat, ut Cap. XXIV. oſtendimus.

(XLIX) Si vera, quae de conchis purpuriferis in Nota ſuperiore XLIV. a nobis diſputata ſunt, iam purpurae omnes ſive albo ſive colorato flore ad tincturam purpuream aeque idoneae ſunt iudicandae.

Digitized by Google

leos produnt, quorum in qualibet taenia unus ſit. Os habent magnum, in ſummis oris protenſum, in brevem, robuſtam, & curvam proboſcidem contractum, quae profundo fere clauſo ſulco pervia eſt, qua eiicit animal linguam, aut potius carneam proboſcidem, ut neceſſariam aquam marinam exſugat, quam aquam ſaepius linguam contrahens iterum evomit. (L) Ad proboſcidis ſiniſtram ſinus umbilici formam referens deprimitur tribus aculeis armatus, qui ad taenias pertinent. Intima conchae ſuperficies ut vitrum ſplendet, cyaneo aut ſubflavo colore, aliquot lineis violacei ſaturi coloris exarata, quae ab ore ad ventrem obliquo tramite percurrunt. Terreſtris cochleae animal ſimile eſt, ſi cornua excipias, quae quidem longa & acuta e capite prodeunt, ſed in dimidia parte fere inciſa, nimirum ubi ea tenuari incipiunt, & ubi oculi proſtant, qui pluries a contractis cornibus teguntur. Subflava eſt caro, purpureis & flavis maculis variata, in cervice praeſertim, in qua violacei coloris vena interdum conſpicitur. Capiti ſemper imminet operculum fuſci coloris, tenue, rugoſum, corneum. Animal ut terreſtris cochlea dilatans & contrahens corpus ingreditur. An gignant ut terreſtres cochleae, quae diligentiſſime a Marſilio (de ovis cochlearum) obſervatae fuerunt, non auſim dicere, cum in alto vivant, & cominus eas obſervandi facultas non detur.

Ut autem harum purpuriferarum concharum & flores & ceteram naturam perſpectam haberem, (LI) eas obſervare conſtitui diverſis anni temporibus, modo in arido, in aqua dulci modo, modo in marina, purpuras tantum parvae proboſcidis adhibens, nullo duorum generum, de quibus diximus, diſcrimine facto, ſed uti a piſcatoribus ad me deferebantur.

I. Purpurae iſtae tuberculis ornatae quolibet anni tempore florem ſuum praebent, ita tamen ut frigidioribus menſibus flos copioſior, & magis colore ſatur appareat, quam in calidis menſibus, in quibus paucior & dilutior videtur. Aliquae autem pulcherrimum omni tempore praebent, & Philippus Strozzius referente Filandro (Annotatione in Vitruvium) Regis Gallorum Legatum hiſce purpuris quondam pluries recreavit, quae ruptae pulcherrimum violaceum colorem ſtillabant.

II. Clavatae purpurae omni tempore, Maio menſe praeſertim, parvum humorem, qui albus eſt, & lactis aceſcentis ſimilis, emittunt. Hic forte ſeminalis humor inaequali ſubſtantia eſt. Microſcopio obſervatus innumeris, minutiſſimis, ſolidis & albis punctis ſcatet, quae puncta ſobolem ipſam conſtituere poſſunt. Quod ſi id verum eſſet, earum geneſis a geneſi cochlearum terreſtrium plurimum differret. (LII) Obſervavit etiam Fabius Columna (lib. de purpura pag. XXVIII.) ali-

(L) Multa diligentia auctoris in obſervandis & deſcribendis hiſce purpuris apparet. Unum hic tantum obſervandum ducimus. Ait auctor purpuram uti ſua lingua, ut neceſſariam aquam marinam exſugat. Scriptores autem priſci Cap. XXII. relati affirmant uti purpuras lingua ad captandam eſcam, & roſtro ad terebrandas reliquas conchas, quas appetunt.

(LI) Hae, quae ſequuntur, ſatis diligentes auctoris obſervationes mire congruere cum obſervationibus veterum Scriptorum videntur, quas Cap. XXII. dedimus, quod etiam ſemel monuiſſe ſufficiat. Nos tantum, quae non conveniunt, adnotabimus.

(LII) An ille flos ſeminalis ſit humor, addubitamus. Scimus quidem Sepias, cum ſe a rapaci piſce peti conſpiciunt, nigerrimum ſuum ſuccum conſueſſe diffundere, ut inter teterrimas illas infectae aquae tenebras elabantur. Teſtabitur paullo poſt ipſe auctor

aliquot huiuſce generis purpuras nunquam purpuriferas, maxima vero ex parte purpuriferas. (LIII)

III. Conchae, quas diximus purpuriferas, humorem aeque copioſum eiiciunt, nimirum drachmae tantum pondo.

IV. Purpurae Iunio menſe in aqua marina depoſitae etiam vivae florem ſuum ſuppeditant, ex aqua eductae iterum emittunt iam moriturae, ita ut eodem tempore optimus violae odor clare ſuboleat. (LIV) Cum animal corrumpitur, omnia in nigricantem colorem abeunt. (LV)

V. Iulio & Auguſto menſe vigintiquatuor purpurae in arido ſepoſitae, aut nihil, aut pauxillum nigricantis coloris dedere. (LVI) Una tantum coloris herbacei guttam dedit, omneſque biduo interiere. Aliae vigintiquatuor purpurae in marina aqua depoſitae aeque nullum florem dederunt, & cum quatriduo interiiſſent, una & viginti ex his in liquorem viridem ſaturum, aquoſum, graveolentem, ceterae duodecim in album viſcoſumque liquorem abiere. (LVII) V.

---

auctor haſce purpuras aqua dulci aut acu vexatas, aut aliqua moleſtia affectas, aut morituras, hunc florem eiaculari, adeo ut eundem huius liquoris uſum in purpuris, quem in ſepiis videmus, ſtatuendum eſſe videatur. Sed varietas huius floris ſaepe albentis, & proinde ad hunc uſum ſaepe inutilis huic ſententiae omnino adverſatur. Veriſimilius igitur fuerit, purpuras & buccina hoc liquore uti ad ſavagines condendas, de quibus Cap. XXII. nos egimus, cum & omni antiquitate & auctore ipſo noſtro teſtante tunc temporis vel nullum, vel deterrimum habeant ipſum florem, eo quod nimirum in ſavaginibus condendis fere totum conſumant. Ita fortaſſe ſimili liquore ſerici vermes & araneae ad folliculos telaſque texendas redundant.

(LIII) Ecce Fabium Columnam haſce rectiroſtras & maxime clavatas purpuras maxima ex parte purpuriferas in Neapolitano littore inveniſſe audimus, quas nullas purpuriferas in Veneto littore invenit auctor, quarumque aliquas tantum purpuriferas in Sabinianenſi & Ariminenſi littore & nos ipſi iuxta ſuperiorem Notam XLIV. deprehendimus.

(LIV) En, quod ſuperiore Nota LII. aſſeruimus, aut moleſtia affectas purpuras, cum ex aqua marina quaſſatae transferuntur, aut iam morituras florem ſuum emittere.

(LV) Obſervavimus Nota ſuperiore XLIV., & Cap. LXII. purpurarum florem poſt ſalis & cocturae macerationem factum fuiſſe rubidum, nimirum atrore multo mixtum, aut etiam nigricantem. En purpurarum ſuccum iuxta auctoris obſervationes in eundem nigricantem verti audimus ſola maceratione, quae naturali corruptione fit.

(LVI) Immo purpuras etiam vivas nigricanti ſucco hic audimus, quod quoque Cap. XX. de regionum noſtrarum purpuris ad ſeptemtrionem ſatis vergentium iuxta Ariſtotelem & Vitruvium obſervavimus.

(LVII) Qui purpurarum flores album colorem retinuere, nullum memoratae converſionis gradum incipere potuerunt. Qui purpurarum flores in herbaceum & in viridem ſaturum abiere, primum converſionis eiuſdem gradum, qui viridis erat, cum incepiſſent, reliquos converſionis gradus uſque ad rubidum aut nigricantem complere nequiverunt. Id a corporis cuiuſcumque conchae habitu procul dubio proficiſcitur, quarum alia corpora aliis magis minuſve macerationi ſint idonea, aut maiorem minoremve macerationem requirant, quae varietas in corporibus fere omnibus uſuvenire conſuevit. Hinc fortaſſe fit, ut in conchis vividioribus, etiam dum vivant, flos utpote magis idoneus, ſua tantum intrinſeca maceratione aut fermentatione coloretur, in aliis vero, tunc ſolum, cum mortuae fuerint, flos ille utpote minus idoneus ope externae alicuius macerationis aut fermentationis colorari poſſit, nimirum aut corrumpentis aeris, quod hic fecit noſter auctor, quae minima eſt maceratio, aut ope ſolis, quae fit fortior, quod plurimi alii nuperi obſervatores Cap. LXII. relati, & ab auctore ipſo noſtro referendi fecerunt, aut diutinae ſaliturae & cocturae ope, quae omnium fit potentiſſima, omneſ-

V. Septembri menſe ex vigintiquatuor purpuris in arido poſitis iam morituris, viginti colorem maxime violaceum dedere. Quo magis in pus vertebantur, magis color nigricabat. (LVIII)

VI. Novembri menſe vigintiquatuor purpurae aqua dulci ſepoſitae, eodem die periere. Duodecim colorem effuderunt, ceterae nullum. (LIX)

VII. Frigidioribus menſibus purpurae in arido vivunt quindecim diebus, calidioribus in menſibus & maxime Auguſto quinque non ultra diebus, in aqua dulci ſemper vigintiquatuor horarum ſpatio moriuntur. (LX)

VIII. Eiuſdem coloris florem non praebent purpurae eodem tempore collectae, ſed aliae aut violaceum aut amethyſtinum, & utrumque aut minus aut magis ſaturum. (LXI)

IX. Plurimae purpurae in arido poſitae humorem praebuerunt, poſitae in aqua marina viguerunt: unde colligi poſſit hunc humorem eorum vitae non neceſſarium contra Plinii opinionem dicentis, *cum vita ſuccum evomunt*. (LXII)

X. Purpurarum flos in goſſypium relatus nunquam evanſcit, ſed violaceum colorem etiam ſoli oſtentus ſervat. (LXIII)

XI. Sexaginta purpurae a cortice eductae, pinſitae, ſale triduo maceratae, adiecta

Q

mneſque omnium concharum flores ſua vi colorare poſſit, quod antiquorum hominum unum erat artificium. Haec & alia antiquae Porphyropeiae praecepra omnino ignota has diligentes auctoris obſervariones peſſumdediſſe paullo poſt moerebimus.

(LVIII) Aliud experimentum, quo certius probari poſſit, ipſam putredinis macerationem in quarundam purpurarum ſuccis nigritiem inducere aliquando poſſe, quam tamen nigritiem ſola violentiſſima ſaliturae & cocturae maceratio ſemper inducat.

(LIX) Scriptores veteres omnes Cap. XXII. relati marinas haſce conchas aqua dulci iniectas parvo tempore necari autumant. Quas autem purpuras hic ait auctor nullum florem effudiſſe, album effudiſſe intelligas, quem album florem ipſe non agnoſcit, & ſpernit. Denique obſervemus harum concharum ſuccos utpote minus idoneos, a ſola aeris maceratione in nullum converti colorem potuiſſe, quos tamen aut ſolis fortior, aut ſaltim ſaliturae & cocturae fortiſſima macerario in rubidum colorem omnino convertiſſet.

(LX) Ceterum iidem veteres auctores Cap. XXII. relati etiam quinquaginta diebus in arido poſitas purpuras vivere aſſeruerunt. Id forſitan marium magis ad meridiem vergentium proprium eſt, de quorum marium conchis iidem ſcriptores procul dubio loquuntur.

(LXI) Primis libelli noſtri capitibus novem ſimplices, quinque mixtos fuiſſe colores purpureos obſervavimus, qui hiſce marinis conchis fucarentur. Quemlibet iſtorum plures gradus habuiſſe, quemadmodum omnes fere in natura habent colores, vix obſervavimus. Clarius igitur dicamus. Quot innumerae unius viridis coloris ſpecies aut gradus in unis herbis conſpiciuntur? Id itaque, quod in herbarum coloribus, etiam in purpureis uſuvenire oportuit, nimirum ut innumeri violacei, innumeri rubidi, innumeri ceteri purpurei colores haberentur, & recte ſtatuerimus, purpuram non colorem, ſed modum tingendi, quo fere omnes colores, qui herbis confici ſolerent, conficerentur.

(LXII) Non iam hoc loco ait Plinius florem illum putpuris ad vitam eſſe neceſſarium, ſed eas eum florem amittere, cum moriuntur, quod ſemper evenire in hiſce ſuis obſervationibus auctor ipſe imprudens reſtatur. Alterum maximum antiquae Porphyropeiae praeceptum hoc eſt, quod aeque ignotum, aut minus intellectum duodecimo ſequenti experimento exitium attuliſſe videbimus.

(LXIII) Non evaneſcit quidem ſtatim hic flos purpurarum in ipſo animali coloratus, ſed tamen vel lotura, vel uſu, vel

adiecta aqua puriſſima iuxta Plinii rationes, lenteque & diu coctae aquam nullo modo infecerunt, quae in vaſe poſt fervorem ſuperfuit. (LXIV)

Statui igitur poſt haec pericula poterit, unam penes nos eſſe concham, quae ſuum florem violaceum & copioſum, & tincturae aptum expediat, etſi tria purpurarum genera in noſtro proximo mari vitam vivant, hancque eſſe purpuram tuberculis armatam, quae tamen frigidioribus menſibus copioſiorem & pulchriorem ſuccum, quam calidioribus ſuppeditet. (LXV)

Etſi autem apud nos uno genere concharum, unoque violaceo colore purpura excudi poſſet, non hinc tamen eſt exiſtimandum, ceteris in regionibus plures colores, (LXVI) & ex aliis conchis excudi non poſſe, ut ex buccinis, ex muricibus proprie dictis, ex turbinibus, uti a Plinio, & ab aliis ſcriptoribus hauriri poteſt. (LXVII) Sed ratio, qua flos e conchis extraheretur iuxta antiquorum praecepta, plurimum dubia eſt, repugnans, nec apta, quae executioni mandetur.

---

vel tempore ipſo paullo poſt dilabi ſolet. Una autem ignis & ſalis maceratio firmitatem immortalitatemque iſtis ſive in animali, ſive extra animal ipſum coloratis floribus, ut Cap. LXI. LXII. palam fecimus, tribuere poteſt.

(LXIV) Dolendum, profecto, dolendum, hoc duodecimum experimentum, quod a nullo alio nupero obſervatore fuerat tentatum, quod unum reſtitutionem purpurarum confirmare poterat, minus ex veterum ſententia factum, minus ex noſtra ſententia eveniſſe. Pluries confirmavimus veteribus omnibus ſcriptoribus praeeuntibus unum floris ſuccum ad tincturam idoneum, reliquum corporis ſuccum ſterilem, & inutilem, & ad coloris converſionem omnino indocilem eſſe: conchas vero aut aqua dulci, aut alio modo vexatas, aut ſenſim morientes, non vero uno ictu occiſas, floridum ſuum ſuccum efflare, & ſterilem reliqui corporis ſuccum tantummodo relinquere. Imprudens autem noſter auctor primum purpuras aqua dulci ſenſim occidit, deinde flore ita amiſſo reliquum ſterile corpus ſubtilliime in mortario pinſuit. Igitur quem unum florem ſublegere debuerat, eiecit, corpus, quod eiicere debuerat, retinuit, atque ita ſimplicem aquam, quod aiunt, in mortario ſuo incaſſum contudit. Hunc modum ſe adhibuiſſe, & hoc loco ipſe auctor teſtatur, & ſuperius teſtatus eſt, & inferius etiam ad Notam LXXI. & LXXIII. teſtabitur. Si auctor noſter flores ipſos cum reliqui corporis ſterilibus ſuccis, & tertia aquae parte, quam iuxta Plinii rationes debuerat, miſcuiſſet, profecto medicamentum nimis dilutum, & fere ad tincturam inutile, nimirum nimis aquatius, ut ait Seneca Cap. XXI. relatus, conſtituiſſet. Quid dicendum, quod auctor unum ſterilem reliqui purpurarum corporis ſuccum ſine flore, qui in aqua dulci, aut lenta morte diffuſus perierat, adhibuit? Quomodo ſterilis hic ſuccus, qui cum ipſo foecundo flore mixtus fere inutilis fuiſſet, ſolus aquam colorare debuerat, etiamſi decem diebus coquiſſet, quod inſuper non ait, ſed tantum diu coquiſſe? Verum de hac re in inferiore Nota LXXIII. rediturus eſt ſermo.

(LXV) Iterum dicimus omnes omnium purpurarum & albos & coloratos flores eſſe ad purpuream tincturam idoneos.

(LXVI) Non unus inquam violaceus, ſed fere omnes alii plurimi colores purpurei & a maris Adriatici, & ab omnium marium purpuris & buccinis iuxta varia climata & artificia componi poſſunt, uti pluries dictum eſt, & Cap. XXV. demonſtratum.

(LXVII) Unae purpurae, una buccina, non proprie dicti murices, non turbines, non aliae conchae ad purpuream tincturam adhibebantur, id teſtante Plinio, id teſtantibus omnibus antiquis Scriptoribus Cap. XXII. relatis, niſi hae quoque conchae ab minus diligentibus antiquis hominibus inter buccina cenſerentur, de quo iam Nota XLV. dubitavimus.

detur. (LXVIII) Plures autem fuiſſe videntur rationes, qua flores e conchis educerentur, ab antiquis Purpurariis uſurpatae, ut ab Ariſtotele, Plinio, & Vitruvio edocemur, qui uni Scriptores ita celebris opificii aliqua praecepta tradidere, cum Pollux & Caſſiodorus praecepta tantum ab illis duobus tradita tranſcripſerint. (LXIX) Nuperi vero noſtri Scriptores antiquae Porphyropeiae detegendae & excitandae cupiditate flagrantes nimirum Salmutius, Nierembergius, Libavius, Columna, Cole, Maior, Boyleus, Reaumurius, Hamelius, & plerique etiam fortaſſe alii nihil aliud egerunt, quam divinare antiquas purpuriferas conchas, & circa crudum tantum earum florem aliqua pericula facere. (LXX) Plinius (lib. IX. cap. XXXVI.) refert conchas frigidis temporibus Tyri capi conſueviſſe, in aqua dulci ſolido die deiectas occidi, cum ita interiiſſent, maiores purpuras malleis ex cortice extractas, minores vero trapetis ſubtiliter fractas, ſextarium ſalis in ſingulas carnium centenas libras additum, triduo maceratas, centum carnium libris centum quinquaginta aquae libras affuſas, in cortina decem diebus lento igni percoctas, carnes, quae inter fervendum affurgunt, deſpumatas, vellere laneo iniecto periculum coloris factum, iterum excoctas, ſi color langueret, donec in rubro nigricaret, qui nobiliſſimus omnium color erat, quo innumeras tincturas Purpurarii iuxta ſeculi morem cudebant, buccino tamen, aliiſque rebus, quae ad excitandum colorem pertinent, temperantes. (LXXI) Alibi idem Plinius (lib. IX. cap. XXXVIII.) comme-

(LXVIII) Immo clara, factu facillima, toto libello noſtro, & praeſertim Cap. XXII. XXIII. XXIV. XXV. LXI. LXII. LXIII. clare expreſſa antiquorum praecepta. Sed neſcio quo fato factum eſt, ut parum auctor noſter, minus etiam ceteri nuperi Scriptores intellexerint, ut & iam praeteritis notis patefecimus, & clarius etiam ſequentibus Notis animi dolore quodam patefaciemus.

(LXIX) Iam horum Scriptorum omnium praecepta toto libello noſtro declarata nos diximus.

(LXX) Res vol ita ſe habet. Nuperi iſti Scriptores, omneſque alii, quos Cap. LXII. retulimus, nullo modo Plinium, nullo modo ceteros antiquos Scriptores intelligentes, nihil ſibi reliqui fecerunt, quam ut antiquas purpuriferas conchas divinarent, & circa crudum tantum earum florem aliqua pericula facerent, omni ſalitura & coctura omiſſa, & ſola naturali ſolis & aeris maceratione contenti, quod ſaepe & nos eodem Cap. LXII. ſignificavimus.

(LXXI) Heu quam male, quod iam diximus, praeceptorum interpretationem exorditur auctor, quae nobis veteres memorati Scriptores circa Porphyropeiam tradidere. Non itaque ait Plinius purpuras frigidis tantum temporibus capi conſueviſſe, ſed cum a vere ad caniculam deteriorem florem haberent, non eſſe tunc temporis capiendas, licet id a Purpurariis nec obſervaretur: Non Tyri tantum id factum, aut faciendum, ſed ubique gentium: Non ſolido die in aqua dulci necari, ſed tempore, quod non definit: Non aqua dulci conſulto necari ad tincturam, ſed immo ut ab ea morte ad tincturam caveretur, quod tum florem evomerent: Non maiores purpuras ita mortuas malleis, ſed vivas manu extractas, & unum florem a cetero corpore avulſum: Minores non mortuas in mortario ſubtiliter pinſitas, ſed vivas ſaxis aut trapetis fractas, & florem cum corpore adhibitum, cum e parvis manu avellere difficile eſſet, & parva illa corpora cum floribus mixta parum eos diluerent: Non centum carnium libris centum quinquaginta aquae libras, ſed aquae amphoram, aut libras octoginta fuiſſe affuſas: Non buccino, aliiſque rebus, quae ad excitandum colorem pertinent, purpuras temperatas, ſed & buccina & purpuras aequalibus cortinis adhibitas, exceptis conchyliatis coloribus, qui unis purpuris tingerentur, & lanam rudem unis lixiviis prius tantum lotam fuiſſe. Sed videantur Plinii & ceterorum Scriptorum loca memoratis Capit. XXII. XXIII. XXIV. XXV. relata, & clare explanata.

Digitized by Google

commemorat, unas venas exceptas inter caput & collum iacentes, a cetera carne avulſas, ſale triduo maceratas, cuius ratio ſextarii unius eſſet in ſingulas centum carnium libras, amphoram aquae in ſingulas carnium centum quinquaginta libras adiunctam, in cortina lente excoctas longinquae fornacis cuniculo, quam fornaculam induſtrie Libavius delineavit, (Arch. p. 1. l. 1. c. 131.) ita ut fornaculas noſtras, quibus ſerici folliculi coquuntur, adamuſſim referre videatur. (LXXII) Nierembergius hoc loco Plinium interpretans ait conſueviſſe antiquos venam animalis exſcindere, in cortinas manantem humorem cogere, aquam adiicere, lento igni excoquere. Vitruvius de modis fingendae purpurae loquens ait vix lectas conchas antiquos cultro ſauciaſſe, humoremque e plagis purpureum ſtillantem in mortario, ut tereretur, conieciſſe. *Conchylia cum ſunt lecta, ferramentis circa ſcinduntur, e quibus plagis purpurea ſanies, uti lacryma profluens excuſſa in mortariis terendo comparatur*. Ego autem mihi perſuadeo, profecto hunc modum flores e conchis detrahendi veriorem eſſe, cum egomet obſervaverim e vivis conchis copioſiorem & pulchriorem ſuccum manantem, quam a mortuis, multoque minus a ſale maceratis, & etiam coctis, uti pericula ſuperius relata fidem faciunt. (LXXIII) Inquit Caſſiodorus (Var. lib. 1. ep. 11.) ſuccum e vivis conchis eſſe extrahendum, a conditis autem ita ſplendidum extrahi, ut ab vivis, & alia huiuſmodi crepundia refert, etſi revera magnus ille Senator nullum clarum modum edoceat, quo flos quondam extraheretur, magis floridae ſuae elocutioni, quam materiae ſuae

---

(LXXII) Non tantum plura huius Pliniani Capitis praecepta in ſuperius relatum Caput tranſtulit anctor, non tantum praecepta relata in ſuperiorr capite in praeſenti iteravit, ſed etiam male iteravit. Dixit enim auctor noſter ad ſuperius Plinianum Caput centum carnium libris centum quinquaginta aquae libras affuſas. Hic dicit aquae amphoram, nimirum libras octaginta ſingulis carnium centum quinquaginta libris fuiſſe mixtas. Hoc ſecundum rectius. Cap. XXIV. Non omittendum denique plurima alia praecepta hic ſilniſſe auctorem noſtrnm, quae utpote ad purpuras condendas apprime neceſſaria, & a Plinio relata, non erant omnino tacenda. Sed videatur inquam libelli noſtri ſaepe memoratum Cap. XXIV. & XXV.

(LXXIII) Diverſam profecto ab ea, qnam Plinius, ceterique antiqui Scriptores tradidere, florum huiuſmodi macerationem nobis exhibet Vitruvius dicto Cap. XXIV. a nobis relatus. Ait enim uno ictu venas exſciſſas, nnos flores in mortarium effuſos, ne flores areſcerent, mel adiunctum, diu fuiſſe pinſitos. Puri flores cum nullis reliqni corporis ſterilibus ſuccis commixti, melle perfuſi, valide triturati, eam fortaſſe macerationem inducebant, quae violentam ipſam & diuturnam ſalis & ignis macerationem, ubi aqua, ubi plerique reliqui corporum ſteriles ſucci admiſcerentur, aequipararet. Plinius, Pollnx, Caſſiodorus, Ariſtoteles ignis macerationem, unus Vitruvius triturae macerationem probat. Uterqne igitur modus ab antiquis probatus, licet anctor ſecundum praeſerat. Huiuſce vero praelationis ab auctore relata cauſſa auctoris eiuſdem errorem in memorato duodecimo experimento admiſſum clare prodit. Ait enim Vitruvianum modum praeferendum, quod florem e vivis purpuris tantnm, non e mortnis, multoque minus maceratis & coctis educi ille conſpexerit. Ita profecto ſe res habet. Iam Cap. XXIV. eſt demonſtratum, purpuras cum vita flores evomere conſueviſſe, & id, qnod ſumme cavendum, in utroque modo celeri eius morte fuiſſe cautum. Quomodo id caverit Vitruvius, audivimus. Flos manans e plagis uno ferramenti ictu illatis in mortarium ſtatim coniiciebatur. Quomodo caverint Plinius ceterique Scriptores, audivimus, & iternm audiamus. Uno ictu, qui ſolemnis erat, & apprime neceſſarius, ne flos erumperet & periret, conchae occidebantur, inde flos ipſe in magnis purpuris manu a cetero corpore extra-

ſuae tractandae intentus. (lxxiv) Pollux (in Onomaſtico) ratione deſcripta, qua Tyrii concharum piſcatum exercerent, ait antiquos eas fidiſſe, tractaſque carnes aqua incoquiſſe deſpumantes & tergentes, ſanguinemque ſuperſtitem ad tincturam adhibuiſſe. (lxxv)

Britannus Gulielmus Cole (Act. Lipſ. T. I.) ſui buccini ſuccum lecturus, rupta prius ita concha, ne laceraretur animal, e candida vena, quae ſub capite in patenti ſulco iacet, brevibus & rigidis penicillis ſaucians humorem elicuit, iiſdemque penicillis lintea ſtatim & ſerica infecit. Viridis ſplendens color ſtatim apparuit, qui ſoli expoſitus paucis minutis viridis ſatur factus eſt, hinc glaucus, mox caeruleus dilutus, poſtea violaceus, demum paullo poſt in vivide purpureum aut potius rubicundum tranſiit, nec ullam aliam ſubiit mutationem, etſi pluribus diebus ſoli expoſitus fuiſſet. Color denique ille nobiliſſimus, aqua & ſapone lotus, ad ſolem aut ventum ſiccatus, coccineus & ſplendens evaſit, & ita fixus, ut etiam millies lotus vix aliquantulum ſit dilapſus. Spondet idem auctor ſe circa hoc buccinum nova pericula facturum, quae tamen huc uſque non innotuere. (lxxvi) Boyleus in ſuo de coloribus Tractatu (T. I. p. DCCCCLXXXI.) de purpureo colore ſermonem habens narratum ſibi refert, Concham in America, mole parvam, inſolita forma, liquore manare, qui primo viridis, inde violaceus, demum rubicundus evadat, quique quantumvis lotus nunquam colore deficiat. (lxxvii)

extractus, in parvis cum parvis corporibus mixtus in cortinam coniiciebatur. Uterque modus igitur probatus & probandus. Auctor in duodecimo experimento id non cavit, quod maxime cavendum. Contra antiquorum praecepta conchas adhibuit in aqua dulci, aut in arido prius mortuas, & proinde flore amiſſo & nullo. Reliqua corpora ſterilia deinde igni incaſſum ſubiecit. Quid mirum igitur, ſi haec oſcitantia in hac re maxima, qua una admiſſa purpurae habentur, qua omiſſa non habentur, duodecimum auctoris experimentum purpuras non dedit, & quod ſummum eſſe oportuit, ioculare experimentum eſt factum?

(lxxiv) Nunquam Caſſiodorus eo loco, aut e vivis conchis ſuccum extractum, aut purpurarum ſuccum fuiſſe conditum, ſeu cum conditura ſepoſitum, affirmavit, ſed tantum iam excoctum eundem ſuccum ſex menſibus, antequam ad veſtium tincturam adhiberetur, ſervari conſueviſſe, ut teter piſculentus odor, quo recens excoctus liquor etat imbutus, interea evaneſceret, nec in veſtes tranſiret. Sed videatur Cap. XXVI. & Nota LXXIII.

(lxxv) Iulium Pollucem ita tamen intelligas, ut parva corpora cum floribus contuſa, non vero maiora corpora, multoque minus ſine floribus, in lebetem coniicerentur.

(lxxvi) Ab non intellectis veterum Scriptorum praeceptis ad inania recentum Scriptorum tentamina redit auctor. Haec autem tentamina nunquam antiquas purpuras datura, unam naturalem metamorphoſim, de qua ſuperius verba ſunt facta, demonſtrant. Sed ſequamur auctorem. En aliud igitur exemplum naturalis metamorphoſis buccinorum ſucci a candido ad vivide rubicundum, quam una ſolaris maceratio eduxit. Antiqua tamen artificioſa ſucci buccinorum metamorphoſis conſtans erat, haec autem evaneſcens, quod in ipſo Cap. LXII. & etiam ſuperioribus Notis oſtendimus. Nec iam admittendum, quod Britannus Scriptor ſuam metamorphoſim millies lotam vix aliquantulum dilapſam autumet. Si id verum fuiſſet, notitia & uſus percrebuiſſent. Silentium, quod ſecutum eſt, vanitatem demonſtrat.

(lxxvii) Aliud eiuſdem in buccino metamorphoſis exemplum ſola aeris maceratione confectae. Vappam tamen & hunc rubicundum colorem fuiſſe, ipſo ſilentio teſtante, coniici poſſet, niſi dicere vellemus, in Americanis ſub torrida zona regionibus ſuccos gigni firmiores, ut factum in torrida India Cap. XX. obſervavimus.

Narrat etiam regium principem ſibi narraſſe, piſciculum ad ſe delatum fuiſſe a piſcatoribus in Britannico littore captum, qui ſudariolum, in quod coniectus fuerat, vivaci purpureo aut coccineo colore tinxit, qui nullis loturis deleretur. (LXXVIII) Refert Camberſius (Dizionar. alla Voce Porpora p. CCCCLXXXI.) in Hiſpania America prope Nicoiam quamdam reperiri concham, quae in parva & candenti faucium vena humorem purpureo colore inficientem continet, locupletemque factam eam urbem, quae ea purpura utatur ad Segovienſes pretioſas lanas uſui Hiſpanorum Magnatum tingendas, ſed modum tamen, quo illi Americani homines humorem ex ea concha educant, omnino latere. (LXXIX) Novam purpurarum ſpeciem obſervavit Reaumurius (Memorie della R. Accad. di P. T. V. p. CCCXL. ediz. di Venezia) in Pictonum littoribus petris & arenae adhaerentium, quae purpurulae grana ovata videantur, linea una longae, lineis duabus cum ſemiſſe latae, quaeque grana albo ac fere flavo colore plena in album linteum eliſa, quodam diluto flavo colore imbuunt, qui quatuor minutis in pulcherrimum rubicundum tranſeat, dummodo linteum ipſum ſolem & aerem ſpectet. Denique poſt plura pericula obſervationeſque circa hanc ita celerem colorum converſionem factas ſtatuit auctor, haud difficilem hiſce purpuriferis granulis futuram eſſe tincturam, cum copia eorum plurima in Pictavienſibus littoribus iaceat, & facili preſſura color effundi poſſit. (LXXX) Abundant inſulae Caribes (Chambers Voce Purpura p. XVIII.) conchis digitum craſſis, cyaneo colore. Carnem albam animal oſtendit, pellucidam, & inteſtina pulcherrimo rubicundo colore infecta, qui per carnes pellucet, humoremque violaceo caeruleum iacit, qui ut copioſius legatur, conchae ipſae in lancem coniiciuntur, in qua quaſſatae copioſiorem humorem relinquunt. Haec tamen tinctura obſervante Labatio (P. Labat) ſimul ac lavatur, aut madeſcit, extinguitur. (LXXXI) Hamelius ipſe (M. Du Hamel Memorie della R. Acc. T. V. p. CCCLXI. ediz. di Venezia) hanc Spartam ornare ſtatuens humorem purpurarum obſervavit, quae in mari Galliae Provinciae lectae fuerant, quaſque Rondeletius deſcripſerat. Reperit humorem recens & ſponte ab animali profuſum, album, viſcoſum, viridem interdum, qui ſolem ſpectans viridis dilutus fiebat, hinc rubicundus, & paucis denique minutis in purpureum ſaturum abibat. Plura verba facit Cl. Vir circa hanc ita celerem & ſucceſſivam colorum metamorphoſim, illudque addubitat, an Sol aptior quam ignis eſſe poſſet ad eam mutationem validius excitandam. (LXXXII)

Hinc

(LXXVIII) Hoc demonſtrat exemplum piſcibus etiam naturam aliquando hanc ſuccorum metamorphoſim tribuiſſe, niſi hanc piſcatorum fuiſſe fabulam putemus.

(LXXIX) Huic Americani buccini metamorphoſi fortaſſe torridae zonae coelum, ſub quo iacet Nicoia, tantam tribuit firmitatem.

(LXXX) Hae exiles conchulae grana ovata referentes an inter buccina vel purpuras ſint referendae, addubitamus. Converſio candidi in rubicundum colorem propria buccinorum fuit, & Oceanus caret purpuris, ut ſaepe monuimus. Alterum hoc interea qualecumque huius metamorphoſis exemplum notetur. Sed etiam in hiſce harum conchularum ſuccis coloris firmitas, quae neque aſſeritur, erit deſideranda.

(LXXXI) Haec autem neque buccinum eſt, neque purpura, ſed peculiaris Caribum inſularnm concha nihil cum aliis commune gerens, niſi ſuccum in ipſo animalis corpore coloratum, & ipſo Labatio teſtante facillime ev aneſcentem.

(LXXXII) Ultimum eiuſdem coloris & ſucceſſivae colorum mutationis exemplum, quod adſert auctor, in Galliae Provinciae littoribus ope ſolis eductae. Solemnis erat converſio candidi purpurarum ſucci non

in

Hinc liquido conſtat Porphyropeiae praecepta, quae nobis Ariſtoteles, Plinius, Vitruvius, ceterique priſci Scriptores tradidere, non eſſe idonea, quae nos eandem doceant, cum ipſi ea praecepta aut oſcitanter ex opificibus hauſerint, aut uti rei tum vulgaris praecepta perfunctorie tractaverint, tentamina vero omnia nuperis hiſce diebus a Philoſophis facta, qui hoc nobile opificium reſtaurare curarunt, nullum quoque nobis certius iter detexiſſe, quo ad ipſam Porphyropeiam perduceremur, ita ut Philoſophi ipſi rem pro derelicta habendam cenſuerint, eiuſdem ſola cognitione contenti. (LXXXIII)

Sed cum tinctura purpurea eo qualicumque modo parata fuiſſet, qui nos latet, lanas Purpurarii tingebant vel ſuo ingenio, vel temporibus, vel lucro ſervientes. (LXXXIV) Dibapham aut rubicundam Tyriam facturi, quae Sarranum Oſtrum, aut ſacer murex dicebatur, (LXXXV) lanas prius in Pelagio immaturo nec ſatis excocto inficiebant, deinde in buccino, unde rubicundus fluebat color, quem ſanguinis concreti ſimilem nuncupat Plinius (l. C.) *At Tyrius Pelagio primum ſatiatur immatura viridique cortina, mox permutatur in buccino: laus ei ſumma color ſanguinis concreti*. (LXXXVI) Atque hic animadvertendum Plinium ſibi non conſtare, cum vocibus utitur buccini, pelagii, purpurae, muricis, conchylii, quas promiſcue uſurpat, uti eius naturalis Hiſtoria declarat, de quo crimine iure merito accuſatur a Fabio Columna (De Purpura). Plurimum enim negotii lectoribus nominum multiplicitas faceſſit, eoque magis, quod de purpurae generibus loquens candem eſſe tincturam, viribus tantum variam & diverſam declarat.

---

in rubicundum, ut in buccinis, ſed in rubidum. Ita in hac converſione factum eſt. Candidus purpurarum color in purpureum ſaturum, ſive rubidum eſt converſus. Quod vero Hamelius addubitat, an fortaſſe Sol aptior quam ignis ad eam mutationem validius excitandam eſſe poſſet, dubium id & inconſtantiam coloris, & vulgatam veterum praeceptorum ignorantiam, & Hamelio ipſo indignum praeiudicium non tentata prius veteris cocturae firmitate declarat.

(LXXXIII) Malo inquam fato evenit, ut ex clariſsimis & diligentiſsimis veterum Scriptorum circa Porphyropeiam praeceptis ne unum quidem a nuperis ſcriptoribus intelligeretur, & proinde horum tentamina a non intellectis veteribus praeceptis toto coelo diſtantia nullas antiquas purpuras genuerint.

(LXXXIV) A novis tentaminibus ad antiqua Porphyropeiae praecepta iterum redit auctor. Nos ſequimur, & emendaturi dicimus, quod immo veteres Purpurarii unis notis artificiis ſerviebant, quae & nobis nota ſunt, & ſatis clare toto libello noſtro & maxime Cap. XXII. XXIII. XXIV. XXV. LXI. LXII. LXIII. explanata.

(LXXV) Tyria purpura dibapha & rubida, quae Oſtri Sarrani nomine audiebat, a Sarra, quae eadem eſt Tyrus, nomen huiuſmodi mutuata eſt. Eadem quoque ſacri Muricis nomine audiebat, quod Romani aut Graeci Imperatores, qui ſacri habebantur, ſecundum Theodoſii tempora uni veſtem Tyria dibapha purpura florentem geſtarent. Cap. LVI. LVII.

(LXXXVI) Diximus ſuperiore Nota LXXII. auctorem noſtrum plura alia Porphyropeiae praecepta a Plinio tradita praetermiſiſſe. En ex illis omiſſis praeceptis unum, quod purpurae non iam rubicundae, ſed rubidae Tyriae artificium docet, non ſuo loco relatum, & certe de more non intellectum, ut Nota inferiore XC. patebit. Clarius nos itaque iteremus praeceptum. Purpuram rubidam infecturi artifices lanam rudem, ſed tamen lotam, in pelagio, nimirum in purpurarum cortinam adhuc viridem & immaturam quinque horarum ſpatio, deinde eandem lanam carminatam in buccinorum rubicundam cortinam eodem ſpatio coniiciebant. Cap. XXV. Artificium vero purpurae violaceae educendae retulit auctor noſter ſuperiori loco ad Notam XIX., & inferiori ad Notam XC., ſed utrobique etiam peius intellexit, ut cuique Notas illas legenti patebit.

Digitized by Google

clarat. *Concharum ad purpuras & conchylia eadem quidem eſt materia, ſed diſtat temperamento*. (LXXXVII) Apparet tamen concharum colorem a variis regionibus varium colorem duxiſſe, (LXXXVIII) & ab ipſa etiam Plinii hiſtoria liquet, Conchylium fuiſſe violaceum colorem, Pelagium vero rubidum minus aut magis ſaturum fuiſſe, qui varia proportione, aliiſque auctariis mineralium, aquae, & lotii commixti innumerabiles producerent tincturas. (LXXXIX) Purpura ianthina, verſicolor, aut amethyſtina buccino & pelagio fiebat, cuius duae tertiae partes buccino, una pelagio conſtarent. (XC) Conchylium iuxta Plinium (l. XXI.

(LXXXVII) Profecto ignota vocabula negotium faceſſunt, nota rem pandunt. Pandamus nos igitur & praeſenti Nota & pluribus ſequentibus hoc hactenus obſitum & inacceſſum vocum Plinianatum ſenticetum, quod equidem & Fabio Columnae & nuperis Scriptoribus omnibus eorundem Plinianorum praeceptorum ſenſum obtexit. Concha ipſa Purpura igitur alio nomine Pelagia vocabatur, quod altum pelagus incoleret Cap. XXII. Murex aliquando peculiarem concham, aliquando & purpuras & buccina, & fere turbinatas omnes conchas continuiſſe videtur, quod fere toto noſtro libello fit manifeſtum. Conchylium vero apud Plinium ceteroſque veteres Scriptores nullam concham ſignificabat, ſed colorum purpureorum genus a purpurarum dibapharum genere diverſum, quod conchylium ſpeciatim vocabatur, ſemel tinctum erat, & in caeruleum ſaturum, caeruleum dilutum, & flavum colores abibat. Cap. XII. Hinc clare ait Plinius, haec duo purpurarum genera, nimirum purpuras dibaphas, & ſemel tincta conchylia eiſdem quidem marinis conchis, ſed diverſo artificio & medicamine gigni conſueviſſe. Eodem Cap. XII. & XXV.

(LXXXVIII) Apparet tamen etiam conchas ipſas non a variis regionibus tantum, ſed & a vario artificio, medicamine, & temperamento varium colorem duxiſſe, quod dictitamus, & Cap. XXI. XXV. eſt demonſtratum.

(LXXIX) Saepe inquam diximus, conchylium, ſeu conchyliatam purpuram non violaceum, ſed colores caeruleum ſaturum, caeruleum dilutum & flavum exhibuiſſe. Pelagium autem nullus erat purpureus color, ſed ipſum excoctum medicamentum floribus purpurarum confectum, quae alio nomine pelagiae vocabantur, quo medicamento deinde veſtes inficerentur. Nulla quoque mineralium auctaria adiiciebantur, niſi lixivia quaedam, quibus lanas rudes ante tincturam artifices laverent. Lotium, aut ius aqua mixtum, (quod praeceptum ad conchyliorum artificium pertinens, maleque intellectum hic non ſuo loco ab auctore affertur,) non in abundanti dibapharum purpurarum, ſed in uno parciori conchylii medicamine addebatur. Cap. XXV. Hinc denique non innumerae tincturae, ſed tres tantum conchyliati, quos diximus, colores proficiſcebantur, uno tantum graduum diſcrimine in plures abeuntes & diviſi, prout pluries aſſeruimus.

(XC) Iam eadem erat amethyſtina & violacea purpura. Cap. IV. Nec haec ſola, ſed purpurei colores omnes mire verſicolores apparebant. Cap. XXVII. Eadem vero amethyſtina aut violacea purpura ita fucabatur, ut lana rudis & lota prius in buccinorum cortinam quinque horarum ſpatio, & deinde eodem ſpatio in rubidam purpuratum cortinam demergeretur, contra ac in purpuris rubidis conficiendis factum fuiſſe diximus, nimirum ut lana prius in purpurarum cortina, inde in cortina buccinorum madefieret. Hoc autem praeceptum ad purpurae violaceae conficiendae artificium pertinens, & aeque male intellectum, hic etiam non ſuo loco ab auctore noſtro eſt relatum. Videatur ſane Cap. XXV., quod artificia & violaceae & rubidae purpurae condendae clare enarrat. Illud quoque minus clare dictum & intellectum eſt, ut fieret violacea haec purpura, duas tertias partes buccini, unam pelagii conſtitui. Clarius dicamus, duas tertias partes, & peculiariter libras CC. ſucci buccinorum, unam partem, & peculiariter libras CXI. ſucci purpurarum, quae pelagiae vocarentur, duabus diſtinctis cortinis ſepoſitas, communiter adhibitas fuiſſe, ut non modo violaceae, ſed & rubidae, & ceterae omnes purpurae, quae bis tinctae eſſent, conchyliatis exceptis, procuderentur. Cap. eodem XXV.

Digitized by Google

XXI. cap. VII.) color eſt violaceus, aut magis aut minus ſatur, aqua & lotio temperatus, unis & parcis conchis purpuris confectus, qui iuxta varios ſuos coloris gradus, vel fuco marino, quem oricellum vocamus, vel iraſcenti mari, (xci) vel floribus magis notis a Plinio comparatur. Primum ab eo aequiparatur cocco in roſa & in amarantho ſplendidius, ut Tyria ſimplex, dibapha, & Laconica. Secundum amethyſto, quod in viola rubet, ianthinum dictum. Tertium eſt veriſſimum conchylium, quod in varias tincturas dividitur, alteram heliotropii, floris malvacei alteram, tertiam violae montanae plurimo colore efflorescentis ſimilem, (xcii) & etiam in alias pleraſque innumerabiles tincturas, quas iuvat praeterire, nam, ut ipſe Plinius aiebat, (lib. XXXI. cap. VIII.) *genera enim tractamus in ſpecies multas ſeſe ſpargentia*. (xciii)

Et quoniam non omnibus anni temporibus captari conchae in mari poſſent, cum frigidioribus menſibus florem copioſiorem & pulchriorem praeberent, ratio conditurae ab antiquis reperta fuerat, ut opifices omni anni tempore cum vellent, ad tincturam ea conditura uterentur. (xciv) Hæc autem ſale, oleo, & melle ita

(xci) Cum repetat auctor, iterum repetere cogimur, conchylium aut conchyliatam purpuram uno & parciori purpurarum ſucco, aqua lotio aut iure commixta, omiſſo buccinorum ſucco, confectam fuiſſe, & non colorem violaceum, ſed caeruleum ſaturum, caeruleum dilurum, & flavum prodidiſſe. Cap. VXX. Nunquam igitur conchylium aut conchyliata purpura a Plinio cum marino fuco comparari poterat, qui rubicundum, & proinde longe diſſitum colorem praebet, nunquam cum iraſcenti mari, quod lividum colorem oſtendit. Immo a Plinio non comparatur. Locus enim Plinii, quem citat auctor, quem Cap. III. retulimus, conchyliorum vocabulo non conchyliatos colores, ſed purpuriferas conchas generatim, fuci vocabulo non fucum marinum, ſed colorem quemcumque aut tincturam generatim intelligi, & de purpuris maxime dibaphis generatim agi, quas omnes auſteriores & lividas, ut lividum mare, fuiſſe Cap. eodem III. probavimus.

(xcii) Non iam ſoli conchylii colores, aut conchyliatae purpurae, ſed colores purpurei generatim a Plinio in allato loco in tres claſſes dividuntur. Primus rubicundus in cocco, in roſis, in purpuris Tyriis, dibaphiſque, & Laconicis, quas tamen purpuras potius rubidas, & ſimiles nigranti roſae ex ipſo eodem Plinii loco Cap. V. oſtendimus. Secundus in purpuris amethyſtinis & violaceis. Tertius in purpuris, quae ſpeciatim conchyliatae, aut conchylia dicerentur, quae erant ſimiles vel flori heliotropii caeruleo ſaturo, vel flori malvae caeruleo diluto, vel flori flavo vegetiſſimo violae ſerotinae, non montanae, ut ait auctor, quae omnia Cap. VI. VII. VIII. a nobis latius ſunt declarata.

(xciii) Locus Plinii ab auctore ex parte allatus reſpicit purpurarum genera & ſpecies. Reſpicit duo genera, nimirum purpuras dibaphas, & ſemel tincta conchylia. Purpurae dibaphae autem duas reſpicit ſpecies, nimirum Tyriam rubidam, & violaceam aut amethyſtinam. Purpurae vero conchyliatae ſemel tinctae tres reſpicit ſpecies, nimirum caeruleam ſaturam, caeruleam dilutam & flavam. Non agnoſcit enim Plinius, praeter hos quinque colores, alios quatuor reliquos colores purpureos ſimplices, nigrum lividum, rubicundum, candidum. Primos duos, quod inamoenos, extremos duos, quod in Romano Imperio inuſitatos. Videatur Cap. XIX. & XXV. Non igitur innumerabiles purpurei colores, ut ait auctor, ſed novem ſimplices iam deſignati, & quinque mixti, (qui poſtremi & nomine & artificio ignotiſſimi & auctori noſtro & nuperis omnibus Scriptoribus, Cap. XIII. & XXV. fuerunt a nobis clariſſime explanati) exceptis tamen eorundem & ſimplicium & mixtorum colorum gradibus, qui profecto innumeri eſſe potuerunt, prout Nota LXI. aſſeruimus.

(xciv) A ſenticeto Plinianarum vocum tandem emerſimus. Cetera planiora, ſed non tamen probanda. Quatuor exi-

ita inſtruebatur, ut plurimis annis & ſeculis color ita pulcher perſeveraret, recenſque compoſitus videretur. Vitruvius ratione primum tradita, qua flos e conchis detraheretur, & in mortario pararetur, adiicit, flores ipſos, niſi ſtatim ad tincturam adhiberentur, corrumpi & exſiccari, niſi mel infundatur. *Id autem (Oſtrum) propter ſalſuginem fit ſiticuloſum, niſi mel habeat circumfuſum*: ea ratione, mea quidem ſententia, qua vinoſi liquores, ſi detecti relinquantur, paucis diebus vix durent, ſi vero oleo aut melle tegantur, ſi res ita patitur, plurimis annis incorrupti & integri perſeverent. (xcv) Circa hanc autem purpuram conditam pulcher locus eſt in Plutarcho (Vita Alexandri Magni). Narrat enim Suſis ab Alexandro Magno captis inter regia ſpolia quinque millia talentorum Purpurae Hermionices reperta fuiſſe cxc. annis ante conditae, & ita ſplendidae, ac ſi recens collecta fuiſſet, & a ſe auditum refert, purpurae phoeniceae colorem melle, purpurae candidae oleo immaturo, aequali tempore puros & ſplendidos ſervari: *Etiam purpurae Hermionicae inventa eſſe quinque millia talentum, compoſitae quidem iam annos CXC., ſed recentem adhuc florem & novum ſervantis. Cauſſam autem huius ferunt eſſe, quod tinctura melle fiat punicearum, oleo vero albo candidarum, quippe quarum aetate pari ſplendor purus & fulgens conſpiciatur.* (xcvi) Mercurialis ad hunc locum obſervat (Var. lect. p. CLXXIV.) regias illaſce purpuras nihil aliud eſſe potuiſſe, quam concharum carnes oleo & melle ad

eximiis dotibus, immortalitate, verſicolori varietate, ſcintillatione, mollitie, prae ceteris omnibus & antiquis & nuperis coloribus antiquas purpuras excelluiſſe pluries notavimus. Ignotiſſimae hae quatuor dotes ſunt nuperis noſtris ſcriptoribus, ut cetera fere omnia ad purpuras pertinentia. Id preſentes noſtrae Notae fortaſſe nimium docuerunt. Immortalitatis autem ignorantia ridiculo errori cauſſam praebet, quem ex aliorum ſententia exorditur auctor contendens, concharum non tantum foecundos flores, ſed etiam ſteriles carnes, ſalis, olei, & mellis conditura ſuperiecta opertas, ut vino in vitreis lagenis incluſo ad longaevitatem oleum ſuperinfunditur, diu ab antiquis ad tincturam quolibet anni tempore adminiſtrandam fuiſſe ſervatas. Sed Iam huius conditurae rationes audiamus.

(xcv) Primum Vitruvium conditurae ſuae ſponſorem male citat autor. Vitruvius enim, ut quivis videt, & Cap. XXV. vidimus, ait concharum floribus inter mortarii trituram mel circumfuſum, non poſt trituram ſuperfuſum, idque factum eſſe, non propter ſecuturam corruptionem, ſed propter triturae comitem ſalſuginem & ariditatem, non ut diu ad tincturam ſervarentur, ſed ne nimium aridi triturae reſiſterent, immo liquidiores facti triturae ipſi melius parerent.

(xcvi) Iam apparet prima cauſſa huiuſce, quae ſomniatur, purpureae conditurae, nimirum vocabulum *compoſitae* fere ſynonymum vocabuli *conditae* penultima longa pronunciati, quod in hac Latina loci Plutarchaei interpretatione legitur. Sed Graecum vocabulum eſt *συγκειμένης* quod effertur *iacentis*, vocabulum quidem a conditurae ſignificatione longiſſime diſſitum, & magis aridis, ut nempe purpureis veſtibus, quam liquidis, ut condito humori conveniens. Secunda vero cauſſa olei & mellis vocabula fuerunt. At Perſae & Indi utebantur quidem oleo in candidis purpuris, melle in purpuris rubicundis, ſed cum conficerentur, non poſtquam fuiſſent confectae. Fortaſſe enim nationes illae iuxta Vitruvianum modum, inter ipſam mortarii trituram, ne ſucci areſcerent, & minus triturationi idonei fierent, oleum in candidis, mel in rubicundis purpuris circumfundebant. Sed veſtes eas fuiſſe, & purpureo immortali colore CXC. prius annis fucatas Cap. XXIX. eſt demonſtratum. Vix denique putamus dicendum, ſal ipſum, cuius in purpuris Romani Imperii uſus erat, non poſt cocturam ad longaevitatem, ſed ante cocturam ad macerationem ipſam fuiſſe adhibitum. Cap. XXIV.

Digitized by Google

ad durationem conditas, cum laneae aut ſericeae veſtes purpura tinctae nullo modo tanto tempore durare potuiſſent. Sibi ille perſuadebat, alias purpuras cortice rubro, alias cortice albo reperiri, & utraſque eundem florem eiicere iuxta ipſum Ariſtotelem (lib. V. Hiſt. animal.) Alii tamen affirmant ſecundam huius loci Plutarchaei partem eſſe vitiatam. (xcvii) Carnium autem conditura, quam diximus, etiam poſterioribus temporibus obtinuit, ut ex Caſſiodoro (Var. epiſt. II.) liquet ad Theonium, in qua ſuſpicatur fuiſſe cauſſam purpurae ad regiam domum non miſſae, quod purpura opportune condita non fuiſſet. *Quapropter ſi perſcrutator Hydruntini maris intuſa conchylia ſolemniter condidiſſet apto tempore*, adiicitque mirum eſſe, aeque ſplendidam tincturam educi ſolere e carne purpurarum, quae longo tempore condita fuiſſet, quam ex recenti. *Mirum eſt ſubſtantiam illam morte confectam, cruorem de ſe poſt ſpatia tam longi temporis exſudare, qui ſolet vivis corporibus vulnere ſauciatis vix effluere* (xcviii) Hinc igitur ſtatuendum videtur antiquos homines non tantum florem paratum & excoctum, ſed ipſam concharum carnem forſan ab inanibus particulis purgatam condire conſueviſſe. (cxix)

(xcvii) Mercurio equidem iniquo Mercurialis iſte, qui huius erroris cauſſam auctori noſtro praebuit, hanc non florum tantum, ſed, quod peius eſt, & carnium ipſarum, quae ſteriles erant, condituram, & purpurarum etiam corticem rubrum & album, iniuſte haec Ariſtoteli affingens, commentus eſt. Sed ignorantia immortalitatis, qua purpurei colores gaudebant, quaeque Mercurialem latebat, id quod ipſe hic clare prodit, hanc ridiculam Plutarchaei loci interpretationem ab eo expreſſit.

(xcviii) Vocabulum *condidiſſet* cum vocabulo *condiviſſet* confuſum, & huic ridiculae Caſſiodori interpretationi cauſſam dedit. Non negamus tamen buccinorum & purpurarum flores, non iam conditos, ſed tantum excoctos, non longo tempore, at ſex non ultra menſes, & nulla adiecta ſalis, mellis & olei conditura, ut piſculentus. foetor interea dilaberetur, nec in veſtes tranſiret, fuiſſe aliquando ſervatos, uti affirmat hoc loco Caſſiodorus, quem locum Cap. XXVII. melius interpretati ſumus. Ampulla iſtis floridis excoctis ſuccis plena, quae in antiquo Purpurarii marmore reperta fuit, ut d. Cap. XXVI. retulimus, fortaſſe hunc morem confirmat.

(xcix) Non carnes ſteriles, ſed unos flores, non conditura ulla ſuperfuſos, ſed tantum excoctos, non pluribus annis, ſed tantum ſex menſibus, non ad tincturam arbitrio conficiendam, ſed ad foetorem diſperdendum, aliquando fuiſſe ſervatos iterum pronunciamus.

Tranſit hic auctor noſter ab antiqua ad nuperam, ut ait, purpuram, ea vegetabilia nimirum expoſiturus, quibus rubicundi & violacei colores hoc tempore commodius componuntur. Nos huiuſmodi pſeudopurpuras non morabimur. Illud tantum iterum monendum cenſuimus, auctorem Italum noſtrum, &, quod mirum, Pharmacopolam, diligentius quam ceteros antiqua Porphyropeiae praecepta exquiſiviſſe. nova tentamina inſtituiſſe: eundem tamen Plinianas voces & ſententias minus feliciter aſſecutum, ad quas aſſequendas nullus dux praeierat, fere abſque ſua noxa pubblico tantum incommodo omnia ſua tentamina corrupiſſe. Reliquos vero Cl. Viros ultra Alpes ſcribentes, quos in hoc tractatu appellavit auctor, quos Cap. LXI appellavimus, ne unum quidem ex antiquis praeceptis exquiſiviſſe, nudam naturam obſervaſſe, nulla artificioſa ex praeceptis tentamina inſtituiſſe. Nos denique, cum & libello noſtro ſuperiore, & praeſentibus notis antiqua Porphyropeiae omnia praecepta in clariſſima luce poſuerimus, forſitan effeciſſe, ut magis methodica tentamina a ditioribus inſtituerentur, & admirando antiquarum purpurarum ſpectaculo iterum & facile Europa donaretur.

MAG 2015328

ROMA

Die 15. *Decembris* 1783.

REIMPRIMATUR.

Fr. A. Gatti Vic. S. Offic. Cæſenæ.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google